NAVFRAGIVM IOCVLARE,

Comædia:

Publicè Coram Academicis Acta, in Collegio S S. et individuæ Trinitatis.

4°. Nonas *Feb*. An. Dom. 1638.



Authore *Abrahamo Cowley*.



Mart. ——— *Non displicuisse meretur*
Festinat, Lector, qui placuisse tibi.



LONDINI,
Impensis *Henrici Seile*. 1638.



Doctissimo, Gravissimóq;, Viro Do. D. *Comber*, Decano *Carleolensi* colendissimo, & Collegij S.S. & individuæ *Trinitatis*, Magistro vigilantissimo.

SIste gradum: quónam temeraria pagina tendis,
Auratâ nimiùm facta superba togâ?
Subdita Virgifero te volvat turba Tyranno;
Et tamen, ah, nucibus ludere pluris erit.
I, pete, sollicitos quos tædia docta Scholarum,
Et Logicæ Pugno carmina scripta tenent.
Post Ca. vel, Hip. Qualis? ne. vel, af. vn. Quanta? par. in. sin.
Destruit E dictum, destruit Iq; modum.
Tum Tu grata aderis, tum blandiùs ore sonabis;
Setonus, dicent, quid velit iste sibi?
I, pete Caussidicos: poteris sic culta videri,
Et benè Romanis fundere verba modis.
Fallor: post Ignoramum gens cautior illa est;
Et didicit Musas, Granta, timere tuas.
I, pete Lectorem nullum; sic salva latebis;
Et poteris Criticas spernere tuta manus.
Limine ab hoc caveas: Procùl. ô, procul ito profana.
Dissimile hìc Domino nil decet esse suo.
Ille sacri calamo reserat mysteria verbi,
Non alia illius sancta lucerna videt.
Talis in Altari trepidat Fax, pænè timenda,
Et flavum attollit sic reverenda caput,

At ſcio, quid dices: Noſtros Academia luſus
Spectavit; nugæ tùm placûere meæ.
Pagina ſtulta nimis! Granta eſt Hic altera ſolus;
Vel Grantæ ipſius non Caput, at Cerebrum.
Sed ſi, Authore tuo, pergas, audacior, ire:
(Audacem quemvis candidus ille facit.)
Accedas tanquàm ad Numen formidine blandâ
Triſtis, & hæc illi paucula metra refer.

Sub veſtro auſpicio natum bonus accipe carmen,
Viventi auſpicium quod ſibi vellet idem.
Non peto, ut iſta probes; tantùm, Puerilia, dicas,
Sunt, fateor; Puerum ſed ſatis illa decent.
Collegii nam qui noſtri dedit iſta Scholaris,
Si Socius tandem ſit, meliora dabit.

Veſtri favoris ſtudioſiſſimus,

A. Cowley.



Ad Lectorem.

NOn sum nescius quanto cum periculo emanare in vulgus hanc fabulam passus sim; tantum interest Spectator, an Lector sis Comœdiæ, quamvis Amicus, adeo ut misellum hoc opus, quod satis ex se deforme est, pulchritudinẽ suam amittere necesse sit, quam illi Lucernæ, vestes, Actor, nobilissima frequentia addiderunt. Sed hoc cum cæteris commune, illud nostræ proprium est, quod plurimis in locis, eisq; , qui, nescio quo fato, maximè placuerunt, ne intelligi quidem, nisi à quibusdam possit, ut in Morionis & Gelasimi partibus, præcipuè verò cùm aperitur Schola, itá ut huic libro accidat, quod solet ignobilibus, qui, nisi in civitate suâ ubiq; ignorantur, itá nascuntur Calendarii similes in usum unius tantùm regionis. *Sed voluntati amicorum satisfaciendum est, non timori meo; & effecit benevolentia illa, quâ priores meas nugas, & veluti vagitus Poëticos (nam (proh pudor!) penè ab infantiâ nugatus sum) excepisti, ut Ingrati crimen subeam, si tibi negem lusus meos. Immemoris si*

formidem. Aliquis autem dicat vir gravissimus (& fortassis etiam dixit.) Eóne impudentiæ ventum est ut hornus adhùc Academicus, Comædiam doceat? Quod nunquam quisquam eâ ætate aggressus est, idne sibi arrogat insolens puer? Egóne tale quia in me admisi? Quod si crimen quidem sit, Illius invidia nunquam tanti erit, ut huic saltem crimini expurgationem aliquam parem. Nam Tibi, Amice Lector, si audacia nostra placuit, Egō vel iterùm tui causâ tam insolens fierem.

Vale.



Scena
Dunkerka.

Dramatis Personæ.

GNomicus.	Tutor Gel. & Mor.
Gelasimus.	Hæres dives, amicus Morionis.
Morion.	Suppositius filius Polypori.
Dinon.	Illorum servus.
Bombardomachides.	Miles.
Eucomissa.	Filia Bombardom.
Ægle.	Captiva Bombard. Æmylionis (soror.
Psecas.	Ancilla Eucomissæ.
Æmylio.	Captivus Bomb. filius Polypori.
Calliphanes. p.	Senex.
Calliphanes. F.	Ejus filius, Ægles amasius.
Polyporus.	Mercator Anglus.
Academicus 1mus.	
Academicus 2dus.	
Mulier.	
Bajuli 2.	
Κῶφα πρόσωπα.	
Lorarij 2.	
Bajulus.	
Exorcista.	



Prologus.

EXi foras inepte ; nullamne habebunt hic Comœdiam ?
Exi, inquam, inepte : aut incipiam ego cum Epilogo.
Tun' jam Sophista junior, & modestus adhuc ?
Ego nihil possum, præter quod cæteri solent,
Salvete cives attici, & corona florentissima.
Sed cedo mihi pileum, si necesse est istud agere.
Utinam illum videretis, plus hoc spectaculo
Risuros vosmet credo, quam totâ in Comœdiâ.
Iam nunc per rimam aliquam ad vos omnes adspicit.
Nisi placidè intueamini, actum est de Puero.
Tragœdia isthæc fiet, & Naufragium verum.
Dicturus modò Prologum, Novi, inquit, peccatum meum.
Prodire, nisi personatus, in hanc frequentiam
Non audet, & plus suâ rubescit purpurâ.
Illius ergò causâ, sinite exorator siem
Ut nequis Poëtæ vitio vortat novitio,
Quodq; non solet fieri, insolentiam putet.
Nisi fari inceptaverit, nemo est futurus eloquens.
Qui modò pulpitum fortius, aut Scenam concutit,
Aliquandò balbutivit ac timuit loqui.
Neq; annos novem poscite ; Non est, Spectatores optimi,
Adulta res, sed puerilis, Ludere.
Vetus Poëta Comico cessit in convitium.
Quis suum diecula invidet crepusculum ?
Quis violæ, quòd primò oritur, extinguit purpuram ?
Favete & huic Flori, ne tanquam Solstitialis Herbula
Repentè exortus, repentinò occidat.

Actus



NAVFRAGIVM IOCVLARE COMŒDIA.

Actus Primus.

Scena Prima.

Dinon. (*Celeusma intus*)

SIquidem adaptantur humeris onera, huc me actutum Sequimini:
Ego vobis prospiciam; nimium hi nautæ attrectant picem manibus: (bus
Mirum herclè est quin malo caveant, tam propinqui funi-
Qui suum quotidiè fatum quasi accuratè complicant. (res
Vt clamarunt modò! Susurrare præ his *Tempestatem* dice-
Gratias habeo quod abs sese, & his suis nos amisit mare.
Vtrumq; est æquè turbulentum, & ad aspectum utriusq;
vomeres.
Itaq; incolumem hic te videre, seriò lætor, *Dinon*:
Polypotus huc me misit *Herus*, cum Filio simul
Ejusq; sodali, ut euntibus servirem peregrè,
Quorum alter, naturâ bardus, nihil ultrà quæritat,

Alter & industriam addidit, uti insaniret strenuè.
Hos ducit quasi *Tutor* eorum *Gnomicus*, ita homo,
Qui, rectè si saperent stultos cis annum redderet,
Nil extra carmina, atq; sententias loquitur carnifex:
Vix soleas, nisi ex *Virgilio* posceret, ita poetâ abutitur.
Hem *Dinon*, vin'tu homini stulto auscultare mihi?
Succenturi jam nunc gnaviter in corde Sycophantias:
Nam si bolus iste tantus eripiatur ex faucibus,
Nunquam iterum occasio dabitur, fortunatus ut sies.
Ignota regio; heri stolidi, ac divites: tum ego, *Dinon.*
Plenus fallaciæ servus, & pecuniæ indigens.
Næ Oves commisit lupo, hos mihi qui concredidit.
Atq; eccos ipsos de navi; eccum autem *Gnomicum*;
Vt magnifice infert sese! gradiri *Iambum* crederes,
Concedam istûc: hem Bajuli, an dormitis super sarcinas?

Scena Secunda.

Gnomicus. Morion. Gelasimus, Dinon.

Gno. Quod fælix faustumq; sit (quâ formulâ delectabantur Veteres)
Egressi optatâ Troes potiuntur arenâ.
Ne a Virgilio nostro poetarum omnium facile principe
Quem ego honoris causâ nomino, transversum digitum,
Aut unguem latum excedamus, ut pulchre in proverbio.
Mor. Tutor, gratulor tibi huc adventum meum.
Gn. Dixisses potius tuum,
Nam hoc esset more Aulico.
Mor. Immò utrumq; mi Tutor Gnomice,
(*Dinon Bajuli.*)

Quem

Quem ego honoris causâ nomino; sed quænam est hæc
Regio?
Nam mihi non magis nota est de facie, quam si esset, Terra incognita.
Din. Adsunt *Bajuli* cum sarcinulis.
Ba. Quo portamus Domine?
Din. Ad tabernam proximam diversoriam, ego ostendam locum.
Gno. Quin *Bajuli* edico vobis, quod Simo senex in Comædiâ,
Vos isthæc intrò auferte; abite; *Dinon*, sequere;
Non, paucis te volo.
Mor. *Dinon*, st! ego paucis te volo.
Memento de vino bono.
Din. Here factum puta,
Nam nihil mihi potius est, quam in hâc re animo tuo obsequi.
Mor. St! *Bajuli!* quin dico, sistite vos mihi *Bajuli*.
Baj. Quid est quod nos velis?
Mor. Cavete de sarcinulis,
Ne quassæ sint vehementer aut jactæ in terram fortiter.
Baj. Numnam insunt ultra?
Mor. Non, non, non, sed nolo aurum nimis premi:
Ne forte imago regia aliquid detrimenti capiat,
Et læsæ Majestatis reus fiam; sat sapio mihi, diis gratias.
Exeunt Dinon Bajuli.
Gn. Pish, verbum sapienti sat est: norunt quid velis, abite
Audin' lætitiam nautarum! ferit aurea sydera clamor.
Celeusma intus.
Mo O musicos homines! utinam ego essem navita:
Vix me abstineo, quin clamem. (*Clamat.*)
Gelasime, quid tu tristis es?
Gn. Quid frontem, ut dicam Metaphoricè, caperas *Gelasime*?

Gel. Egon' tristis? non; meditabar tantùm de naturâ maris.
Cui Dij Deæq; malefaciant omnes, nunquam navigabo posteà
Nam nihil navigatione magis incommodum est ingenio bono.
Adeo non potui modo unum jocum exprimere, quem dicerem *Bajulis*.
At antequam conscendi navim solebant vel invito mihi effluere,
Donicum omnes dicerent satis, satis, satis, satis est.

Gn. *Gelasime*, ut arridet tibi
Navigatio tua? quid jam de mari?

Gel. Amara res est oh! benè est, quod meipsum colligo:
Hic primus jocus est quem dixi in his regionibus,
Et est tantum parvus jocus, meliores certè soleo.
Adeste æquo animo, & meliores audietis postea.

Mor. Hei ho! o hime!

Gno. Quid est *Morien*? cur imo gemitum de pectore ducis?
Secundum poetam.

Mo. Totus contremisco cum de rebellante meo stomacho cogitem,
O jentaculum illud, quod ego de tabulatis totum evomui!
O ova! o vinum! oh sumen! hæc omnia infælix perdidi.
Obsonavi piscibus largitèr.

Gn. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Vlyssi (euphoniæ gratia)
Temperet a lacrymis? video certè rectè dici a veteribus.
Πῦρ, ὕδωρ, γυνή, τρία κακά.
Sive ut ego juvenis in Pentametrum Latinum transtuli.
Sunt tria mala viris; Ignis, Aqua, Mulier.

Mo. Prætereà, Tutor, aliquid aliud certe, me nimis malè habuit,

Nam

Nam cum, ex alto terram procul prospeximus:
Continuò ut nos propriùs accessimus, illa aufugit longulè!
Idque ità ego observavi ipse.
Gno. Vides ergo, quod (amara:
Post nubem Phœbus, Dulcia non meruit qui non gustavit
Multa diuque tuli: Difficilia quæ pulchra!
Per varios casus per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium. Plurimáque alia
Commodè a veteribus dicta sunt in hanc sententiam.
Gel. Omittis, *Morion*, tempestatem reminisci.
Mor. Rectè mones:
Nunquam tam malè metui ne ad cœlum irem ingratiis.
Gno. Iam-jam tacturos sidera summa putes,
Sed eho tu, adeon' vero metuis ἀποθέωσιν? (θέωσιν?
Mor. Quidni metuam?
Nolo tam durum in me dici quicquam vocabulum: ἀπό-
Gel. Ego mehercule tunc temporis guttam non habui sanguinis,
Præ timore, ne sub Ponti Marmore sepultura nobis fieret.
Intelligis Tutor? ambiguum id verbum est: ludo in τῷ Marmore.
Numnam auditis hoc? stabo promissis meis si attenditis.
Mo. Dii te perdant, adeò in omni sermone facetus es.
Gel. Ain' vero? túne maledicis ingenio meo?
Mo. Quidni? quæso annon ad hæreditatem nati sumus?
Tun' Filius natu maximus doctis dictis animum applicas?
Vitium, Gelasime, vitium est.
Gno. Quid est adolescentes? revocate animos, mæstumq; timorem
Mittite, nam jam in vado sumus, cum Proverbio.
Mo. Obsecro te atque etiam oro uti ne revortamur domum.
Nam oppidò mihi arridet hujus loci facies.
Gno. Potin' igitur
Vt sustineas animum si nunquā patrem sis visurus denuo?

Mo. Hercle vero satin' mihi exciderat Pater de memoriâ?
Perquam molesta res est Pater, sed nisi fallor non semper vivunt senes.

Gela. Video me frustra esse: necesse est ut revocem ad me fugitivum meum ingenium.

Mor. Nimis diu hercle est, ex quo ego ebrius fui,
Atque adeo annus videtur, donicum in hâc regione probe madeam.

Gela. Tutor, cedo, quid faciendum est jam nunc: petimusne diversorium?
Ibique omnem hanc ex animo eximimus lassitudinem?

Mor. Imo illic bibamus strenue.

Gel. Rectè, & postilla faciam carmina.

Mor. Atque ego dormiam.

Gno. Faciesne adolescens carmina?
At non constabunt tibi Pedes posteaquàm strenuè bibe-(ris,
Intellextin' Gelasime, quod velim per Pedes annon?

Gela. Ha, ha, he. Eugepæ! ob istuc te dictum amo plurimum.
At nisi eripuisses ex ore mihi, equidem prævortissem te
Et certè magnus jocus est: donabo hunc pugillaribus,
Carmina — tibi pedes — biberis — Ha, ha, ha, he (*scribit*)

Mor. Næ istos omnes jocos dii perdant: nam ante hoc temporis
Madere potuissem, nisi quod diem malè amisimus.

Gno. Eamus igitur; nam scriptum in poetâ invenimus,
Ennius ipse Pater nunquam nisi potus ad arma prosiluit dicenda
Vbi Pater, quia erat primus; Arma, Metaphorice, & alio loco,
Fœcundi calices Quem non fecere Poetam?

Gela. Pulcherrimè! Quem non fecere Poetam!

Mor. Si me certe facere possent, nunquam vel pitissarem postea.

Poetam!

Poetam! vah! ſumne ego Filius Polipors natu maximus?
Gno. Bene habet: jam vos inſtituam optimis ſecundum hunc locum atq; ætatem moribus,
Docebo peregrinandi artem, atque edicam Formulas.
Perſuadendi, deridendi, atque adoriendi homines:
Donec omnes mortales vos admirentur æq; ac me.
Sed prius intrò eamus, nam melius hanc rem præſtabimus
Impleti veteris Bacchi, pinguiſque ferinæ.
Mor. Longe hercle melius. *Exeunt.*

Scena Tertia.

Æmylio.

Æm. Enimvero ego jam nunc incedo vir ornatiſſimus,
Meque ipſe dum contemplor magis, continuò in mentem venit.
Hominum catenulis ſuſpenſorum jamdiu in viâ regiâ:
Næ illi veſtitu ſolent eſſe ad iſtam planè faciem.
Neutiquam hoc placet omen: quanquam ſi eveniat, hoc volupe' eſt mihi
Quod hiſce ego veſtibus commodare non poſſim carnifici.
Nolo ille homo per mè diteſcat: ſed intereà temporis
Dii voſtram fidem! quid mihi faciundum eſt miſero?
Num fiam (qui hic rara avis eſt) Philoſophus denuo?
Qui poſſim, niſi forte Cynicus, adeò oblatrat ſtomachus?
Num impendam operam foro, ac contorquendis Legibus?
At malum herclè omen eſt auſpicari id ſtudium, in Formâ Pauperis.
Dicet aliquis, bono ingenio es: adjunge animum Poëticæ:
Quamobrẽ vero? adeóne parùm inops ſum, ut fiam magis?

Nam hæc recta via'st ad egestatem : præter ea frustra hoc sperat animus,
Nunquam ego evadam Literatus homo, sat scio,
Vnam de me ipso nisi si Literam longam faciam.
Quid igitur agere instituam? nam agendum esse aliquid id venter admonet:
Et Plurimum præstat manu meâ, quam Laborare in hunc modum fame:
Quanquam cum magis cogito, quid est, opera quod conficiat mea ?
Nisi si ad abigendos Corvos memet Hortulano collocem.
Quod præstare optimè poteram cum ornatu hoc formidolosissimo.
At non est, uti nimium properem properare ad id muneris
Nam, velim nolim, sat citò ad Corvos eundum est mihi.
Lubet mehercule suscipere meam veterem denuo provinciam.
Aliquî intendenda est in aliquem fallacia: hoc fixum maneat.

Scena Quarta.

Æmylio, Dinon.

Æm. Sed quis hic homo est, qui sermonem nostrum arbitratur
Ex adversâ plateâ ?
Quantum ex vultu colligo eodem laborat morbo, quo ego.
Et multi magni viri laborarunt.
Din. Herus meus *Morion* cum *Tutore Gnomico*.
Ejusdem farinæ homine & *Gelasimo* æquali suo
Benè intus potat, ibi illi tres conveniunt optime

Hos

Hos ego nisi emungam aliquî pecuniâ,
Sumne ipse stultus istorum multò maximus ?
Nam heri *Poliporus* pater adprimè dives est,
Nescit, quid faciat auro; at ego quid faciam scio.

Æm. Ædepol servum graphicum! examussim sententiam meam
Locutus est adeò: hunc mihi notum esse oportuit,
Nam idem sentimus ambo, quod est in propinquâ parte amicitiæ.

Din. Age *Dinon.* *Æm.* Oh, idne tibi nomen est?

Din. Nunc specimen specitur *Dinon* ingenii tui,
Nisi aliquam fabricam facias, non causam dico
Quin omnes te uno ore prædicent servum minimi pretii,

Æm. A me non impetro herclè, ut abstineam diutiùs,
Ita hominem amo perditè. *Dinon*, salve,
Gaudeo sanè, quandoquidem huc salvus veneris,
Valuistin' usque ?

Din. Quænam hæc larva est ?
Quantum de veste conjecto hic stipem petit;
Oh! scio quid dicturus: Miles sum, potitus hostium,
Occisus jam bis in bello, confossus millies &c.
Parcas labori tuo: nihil do: benè vale.

Æm. Quasi non norimus nos inter nos, mitte has nugas, *Dinon.*
Vbi est Herus tuus? pulchrè os sublinemus homini.

Din. Quid (malam) vis tibi? tun' herum nosti meum?

Æm. Tanquam te. *Din.* Ita sentio.

Æm. Non novi fungum illum?
Bardum, Baronem, stipitem, asinum, ovem?
Quem tondebimus auro hodiè usque ad vivam cutem.

Din. Hic pol herum meum (quicquid id est) suo appellat nomine.
Iurares novisse hominem, ita depinxit probè.
Quoniam verò tam familiaris es; facito ut sciam,

Quod nomen tibi sit amico atque necessario meo.
Æm. Quasi verò oblivisci potis sis, facetus es, *Dinon.*
(*Amplect tur*)
Din. Non non, quæso move te abs me longius, nam licet te amem,
Memini me semper odisse servulos tuos, nihili bestias.
Æm. Quos servulos memoras? Ego meos reliqui domi.
Din. Nempe a tergo sunt, funguntur officio suo,
Nam tu, tanquam alter Bias, omnes tuos tecum portas.
Æm. Ah nequam! idem es, video, qui fuisti prius.
A puero te novi, semper mordebas aliquem.
Din. Egon' mordebam verò? id servuli faciunt tui.
Æm. Non est ut ab illis timeas, *Dinon*, licet confitear,
Me festas meas vestes non induisse hodie.
Cogitabam domi me mansurum, sed quid refert?
Omnes me norunt, non est uti laborem de vestitu.
Din. Falsum: ego te non novi, Diis gratias,
Sed rectè, mi vetus amice, adeò ornatum negligis,
Nam virtute formæ evenit, te, ut, quicquid habeas, deceat,
Sed si tenebris fortè surgeres, diligentiâ opu'st
Ne induas subligacula in diploidis loco,
Adeo difficile est utrumque in te distinguere.
Æm. Æstive tectus sum de industriâ; sudor me enecat.
Din. Consilium dabo, amice, si me audias, perbonum,
In rem tuam esse arbitror, ut moriaris quam primū poteris
Nam tunc te, Ædiles forsitàn ad sepulturam duint,
Et, quod anno non fecisti, obvolutus jacebis linteo.
Æm. Nolo obsonare vermes.
Din. Quam pediculos satius est.
Obsecro Amice, quo avolavit collare, & subucula?
Ne tantillum quidem usquequaq; gerit lintei
Quod digitum tegat, si eum casu vulneret.
Æm. Lotrix habet, quid tua?
Din. Iste galerus jam cribrum est.

Revereri me necesse est; operire non potes caput.

Æm. Admitti solem volo: quæso an id invides?

Din. Nunquam anteà oculis vidi meis ambulare sterquilinium.

Æm. Nunquid dignum habes familiarem ludo ludere?
Si serio faceres——*Din.* Quid tum?

Æm. Acciperem joco.

Din. Ædepol hominem perpaucorum hominum! ingenium perplacet.
Sed negotiosum me decet esse aliis negotiis.
Vale, bone vir, cum revocârim in memoriam qui sis, revortar tibi.

Æm. Obsecro, num amicum deseris? quid faciam?

Din. Teipsum pensilem.

Æm. Da igitur drachmam, non placet ità prodigere de meo.
Quin morare, verbo expediam quid est quod te velim.
In Morionem herum tuum tragulam iniicere
Animum induxisti, ne nega; induxti, scio.
Hanc si devolvas mihimet provinciam
Ita argento illum circumvortam consutis dolis,
Vt reverà me dicas posteà necessarium tuum.
Miles hanc domum nostræ commisit fidei
Servandam in reditum suum *Bombardomachides*.
Peropportunus istic locus est, tum autem ego
(Dimidium mearum Laudum prætereo præ modestiâ,)
Ita retexo omnes mortales, quemq; præhendero,
Vt oppidò se tactos credant modo si conspexerim.

Din. Vt loquitur, ne crumena pertunsa sit, mihi valide cautio'st.
Nimio fuit familiaris. *Æm.* Idem à te caveo *Dinon*,
Nam propè adstitisti: salva res, nihil nactus es.

Din. Dij me amant, quandoquidem hunc hominem objecerunt mihi,

Iam

Iam nunc aggrediar facinus auspicio liquido.
Nam cum isthoc comite vel ipsi Mercurio verba darem
Ita omnes articulos callet sycophantiæ.
Quod nomen tibi dicam esse ? *Æm.* *Æmylioni.*
Din. Tum bone *Æmylio* da mihi manum, conditionem accipio.
Dabin' verò jusjurandum te fidelem fore ?
Æm. Do deos testes tibi : quæso cui mortalium
Præstanda est, fidem si inter nosmet frangimus ?
Sed moram dictis creas, dic qui sint homines,
Vnde, quid veniant, nam adibo, quasi ætatèm nossem.
It dies, & nondum pecuniæ iniicio ungulas.
Din. In viâ tibi dicam omnia : sed cum istoc cine
Ornatu, mi *Æmylio* ? *Æm.* Pish, potin' ut quiescas ?
Annon vestitus tibi videor satis basilicé ?
Din. Vt voles, esto : satin' ex improviso tandem
Amicitia tanta icta est ? *Æm.* Meus bonus Genius !
Din. Meus alter idem ! *Æm.* Meus Pilades !
Din. Orestes meus ! *Æm.* Meus—— θεὸς ἀπὸ μηχανῆς !
Din. Mitte tricas, I præ sequar.
Æm. Quasi essem tam malè moratus, mi Pilades?
Peregrino semper——
Din. Vix audeo te a tergo relinquere.
Tibi hercle locum cedo, tu nebulo major es.
Æm. Eamus ergò simul, mea commoditas.
Din. Mea opportunitas, eamus.

Exeunt.

Scena

Scena Quinta.

Gnomicus, Gelasimus, Morion, Puer.

Gn. Vti in primo Actu Menæchmi, Scenâ secundâ dicitur
Sepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.
Eugè Plautus, ἀπὸ τοῦ πλάτους dictus! sic Horatius
Diem condere, & ὁ ποιητὴς Latii per excellentiam,
Jamque diem clauso componit vesper Olympo.
Gel. An dies mortua est? ha, ha, ha, ha, an inquam dies mortua'st Tutor?
Mor. Moriatur sanè, aut suspendat se, si volt, *Puer*, cedo vinum.
Hum——nullumne magi' vetus? *Pu.* Illicó, illicó. *(bibit)*
Nullus est in totá urbe qui tibi melius præbeat,
Si ejus frater esses. *Mor.* Frater, carnifex?
Non sum ego Polyporo unicus? sed periclum faciam.——
(bibit)
Pu. Vt scintillulat, quasi—— *Mor.* Scintillulat? videam
Fortassis hoc præstat——certè scintillat probé *(bibit)*
Quid (malum) an captas pedes meos? *Pu.* Egon' Domine?
Mor. Dimidiatum tibi cyathum nunquam Tutor, porrigam.
Moratus sum melius——da Tutori, *Puer*, *(bibit)*
Pu. Illico, illico, inquam, non possum esse hic & illic simul
Gel. Obstupefaciam jam ego puerum ingenio meo.
Adi sis. *Pu.* Maxime. *Gel.* Adesdum verò Minime.
Vt verbum retorqueo? quid agis Minime? *Pu.* Vides.
Gel. Ita nimiò exiguus fueras, ut vix hercle poteram.
Pu. Illico, illico, jam venio, jam, jam, vinum ocyus in Coronam:

Gel. Avola-

Gel. Avolavit : unico planè dicto occidi hominem.
Ita omnes quibuscum loquor semper macto infortunio.
Hominem tetigi jocis quarto Nonas Februarii sub signo Rosæ. (*Scribit*)
Gno. Ah parcas irridere illum *Gelasime.*
Ingenui vultus puer est, ingenuique pudoris.
Adi sis propiùs : quid ocu os defigis adeo? attollas caput,
Nescis derivari ἄνθρωπον ἀπὸ τοῦ ἄνω ἀθρεῖν?
Pronaque cum spectent animalia cœtera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.
Gel. Non quit respondere : ita joco interfeci modò.
Euge *Gelasime,* nunquam commutatus clues.
Mor. Puer pete ocyùs vinú: quid horas bonas perdimus?
Gno. Audin'? sit Coum, Massicum, vel Leucadium,
Falernum, Lesbium, Cœcubum, atque audin'? ne sit
Aut Vaticanum, aut Vejentanum, aut Laletanum cave,
Namque hæc in aliam partem accepta apud Authores legimus.
Pu. Factum puta : Vinum ocyus in Rosam.
Mo. Puer revertere sis:
Fac poculum teipso majus uti simul afferas.
Nam pro vitello ovi ebibere te ex cyatho poteram.

Scena Sexta.

Æmylio, iisdem.

Pu. Quo pergis bone vir? nolunt hi fidicinem :
Abi cum cantiunculis novis. *Æm.* Ain' Nauule,
Ramentum! Triental hominis! Naturæ avaritia!

Non

Non licet amicos a'loqui? *Pu.* Amicos tuos?
In popinâ cæcâ quærites: vinum non bibunt,
Nisi forte in Principis natali cum ex canalibus funditur
Æm. Quin abi in malam rem furciferule. —
Pu. Illico; illico. *Exit.*
Æm. Salvere vos plurimùm jubet amicus voster vetus:
Et vivos valentesque huc advenisse id volupe est mihi.
Facit hoc fortasse vestis insolentia
Vt fugiat vos memoria qui sim,
Gel. Non multum falleris.
Gno. Rem acu tetigisti, nam sic melius dictum reor.
Æm. At vestrum ego & memini, & semper faciam ut meminero.
Nam Morionis patri *Polyporo* jam olim summus fui,
Postquam peregrè advenientem hospitio me exceperat.
Gno. Næ bonâ memoria es: didicisse artem, arbitror,
Quam (referente Cicerone) invenisse dicitur *Simonides.*
Æm. *Gelasime* salve (Dii faciant ne falsus sim) salve *Morion.*
Mor. Ego non magis te novi quam Hominem in Lunâ.
Sed si vis, salve.
Gel. Hunc etiam hominem ludos faciam.
Nunquid vestes etiam tuæ (ha,ha,hæ,)abierunt peregrè?
Æm. Modò admodum ex bello redii, commutare non licuit,
Ita vos ut audivi advenisse properavi visere.
Gel. Ædepol vestes malas! an ex bello aufugerunt?
An ostenderunt terga? tua terga hic intelligo.
Æm. Oh; benè herclè gaudeo quod significaras mihi.
Nam illic jocus est, *Gelasime*, antiquum obtines.
Gel. Novit me iste proculdubiò, non urgebo ampliùs,
Ha, ha, ha! An ostenderunt terga?
Nolo jam coram peregrino, post scribam tamen.
Æm. Hanc mihi quam videtis, stragem effecerunt gladii,

Tum galerum cernite, eccam tormentorum operam,
Annon odos Pyrii pulveris objectu'st naribus ?
Gel. O bellum quasi minimè bonum !
Ibi ego iterum; nunquam cessabo hodie.
Gn. Bella per Æmathios plusquam civilia campos,
Satin' hic homo excidit mihi de memoriâ ?
Pudet oblivisci familiaris tam malè,
Ne superbum dicat, assimulabo quasi sciam.
Incertus sum quis siet, sed hoc nil refert,
Amicus certus in re incertâ cernitur.
Æm. Vt valet uxor *Polypori* ? ut senectutem fert?
Gel. Quasi injuriam, Malè; Si centum peregrini adsint
Nunquam tamen omittam istoc scribere. (*Scribit.*)
Gno. Ohe! jam satis est: nunc salve, amice optime,
Dissimulavi per jocum (ut aiunt) quasi non nossem prius.
Gel. Nostin' verò, Tutor, seriò? dic nomen obsecro.
Gn. Nomen ? quasi —— vorsatur mihi in labris primoribus.
Æm. Perii : nomen amisi : oh ! Peripolemarchus est.
Gno. Dii boni ! ita est profectò : sæpè obliviscimur
Quæ callemus, ut proverbiũ facetissimè, tanquam digitos.
Gel. Certè quoque cum animo cogitem, quasi per nebulam memini
Me vidisse illam faciem. *Mor.* Tum ego memini quoq;
Itaque propinabo tibi. Hem! Peripo—— Periplome——
Non multum refert, nosti quid velim, tibi præbibo.
Gno. Sedeamus omnes, in re omni servanda est Methodus.
Sic melius carpemus munera Bacchi. Clama puerum *Gelasime.*
Gel. Non parebit mihi Tutor, ità derisi modò.
Gno. Heus puer, ascende ad culmina tecti.
Pu. (*Subt.*) Statim venio, Illico.
Gno. At citius quam coquuntur asparagi. En, age segnes

Rumpe moras.

Æm. Prædam habeo: salvus sum: tres hosce Asinos
Duæ res statim pessundabunt, Ebrietas & Ego.
Eho tu! dum vos hic largiter siccamus cyathos,
Jube cytharistria intùs nos oblectet cantiunculâ.
Circumfer tu merum; da bibere plenis cantharis.
A summo incipe.

Gno. Peripolemarche, pulchrè admones.
Iuvat insanire.

Mor. Nimio nimis sum sanus diu.
St! Pax! oh harmoniam! ut vibrissat! (*Cantio*)

Gno. Hem *Morion* clauduntur lumina somno?

Mor. Non, non, non.
Sine me esse nihili. *Gel.* Madet pol *Morion.*

Mor. Madeon' *Gelasime?*
An ego madeo, Tutor? cedo gladium Peripomarchides.

Gel. Videon' ego circumfusam illic turbam hominum?
Planè ebrius es *Gelasime*, per Deos immortales ebrius es.

Gno. Arma virumque cano Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus —— hic illius arma
Hic currus fuit —— circumfer merum, carnufex.
Multum ille & terris jactatus & alto
Vi superum, sævæ memorem —— porrige mihi poculum.
Amice, benè me, benè te, benè noster Virgilius.
Arma virumque cano —— (*Bibit*)

Mor. Benè habet: ego iterum potabo ne me credant ebrium. (*Supra*)

Dia. Horunce hic ego facta est sermones legam.
Quam strenuè Genio indulgent! faxo, si vivus vivam,
Plus uti cras lacryment, quam ebiberunt hodiè.
Tum vos, si Baccho placet, in hunc modum, hilarem
Sumemus diem, atque amænum: Ebrietatem sitio.

Æm. Nisi dissimulem quasi biberem, herclè me evertent cyathis,

Ita properant interire : Dii me beatum volunt.

Mo. Ego non sum ebrius *Gelasime.*

Gel. Neque ego.

Mo. Neque ego.

Gel. Benè igitur; salutem tibi.

Mo. Enimverò ego sum ingeniosissimus.

Gel. At ego multò magis.

Mo. Tun' magis ?

Gel. Inquam, Magis.

Mo. Benè, sum tamen ingeniosissimus, hem! propino (tibi.

Gel. Vix lacrymis abstineo equidem, ità te amo *Morion.*

Mo. O *Gelasime* !

Gel. O *Morion* !

Gno. Move manus ocyús; (*Puer Exit.*)

(*Dinon intùs sonitum facit & celeusma.*)

Quid stas? colaphũ impingam tibi grandem cum Comico.

Mo. Dii vostram fidem! tempestatem magnam! eamus oratum Tutor.

Gel. Tempestatem verò! certo certius turbo exortus est, Itâ vehementer conquassat navim, ut vix queam stare.

Gno. Ecce autem, clamorq; virum, stridorq; rudentum! Satin' in navi nos esse oblitus fui? hem! curate navitæ, Ne navis confringatur, neve impingat forsitàn in Scopulum,

Tempestas increbrescit.

Din. Pol mortales graphicos !

Periimus, navis periit, ad extrema se paret quisque.

Nesciunt jam vocem meam; ego, pulchrè delusos dabo.

Æm. Dinonis illa vox est; Eugepæ! factum est optimè.

Gno. Apparent adhùc sydera: hìc Pollux, illìc Castor est. (*ad lucernas*)

Æm. Hem! nauclere, nauclere inquam! quamdiu vivimus ?

Din. Vix horæ dimidium; periimus !

Mo.

Mo. Heu quid faciam miser?
Præ timore iterùm vomam; si jam undis obruar,
Nunquam navigabo posteà.
Æm. Adesdum, adesdum inquam, *Gnonice*:
Viden' fluctum illum decimum?
Gno. Decimæ venit impetus undæ;
Posterior nono est, undecimoque prior.
Gel. O si quis bibere jam queat Salutem mihi!
Non possum non jocari hoc ipso in articulo.
Expirabo animam joco.
Mo. Non possum pati me mori. *(genu flectit)*
O quoties peccavi ego! *(bibit)* Madui quoties! *(bibit)*
Quoties scortatus sum! *(bibit)* nunquam videbo patrem,
Nunquam post hæc bibam, *(bibit)* abi sis uter miser.
(frangit)
Convertamus nos Tutor, ad preces illicò.
Gno. Maximè:
O terque quaterque beati,
Queis ante ora Patrum, Trojæ sub mænibus altis
Contigit oppetere.
Pu. Ecquid nos vocastis?
Æm. Dii te perdant, ità inopportunè huc te coniicis.
Abi sis furcifer. *(extrudit)* *Gno.* Quod fit?
Æm. Rogas?
Vidistin' ut ad prorā modò Deus aliquis marinus adstitit?
Gel. Non, erat piscis magnus. *Æm.* Piscis?
Gel. Piscis mehercule,
Mehercule, inquam, piscis, ex voce id satis colligo.
Din. Funes rupti sunt, disiecta vela, navis lacera est.
Actum de nobis, Socii.
Mo. O mortem——— quid faciam?
Obsecro atque oro vos pisces mihi parcite.
Ego filius sum Polypori natu maximus.
Din. Exonerabo hunc ego congium in eorum capita.

Periimus, ho! ſocii, periimus, abſorbet nos mare,(*delicit*)
Iam, jam abſorbet, periimus.

Gn. O nos miſeros! viden' ut aquas puppis combibit?
Servare hanc familiam ipſa non poterit Salus,
Vt peſſimè Comicus. O Peripolemarche, quæſo duc me in inferiora navis.

Gel. Et me, me, me, me etiam obſecro.

(*Detrudit in cellam Bombard.*)

Mo. Valete; ego jam moriar. (*cadit*)

Din. Ha, ha, ha! dii voſtram fidem, rem venuſtam, & lepidam!
Non potuit evenire melius, quam evenit iſthæc fabrica.

Æm. St! ſt! *Dionon*, ſt! deſcende, altum dormiunt;

(*Dinon deſcendit*)

Næ ego multum fallor, niſi hi homines naufragium verum fecerint.

Puer ingreditur.

Pu. Non, non, non; repræſentatam prius
Pecuniam oportet eſſe pro his quos fecerunt ſumptibus,
Antequam hunc etiam auferas.

(*Morionis loculos ſpoliat, & dat puero pecun.*)

Æm. Pecuniam? lubentiſſimè, lubentiſſimè accipe ſis.

Pu. Iam habe tibi hunc aſinum; illicò, illicò. (*Exit.*)

Æm. O Iovem, cæteroque cælites!

(*Tollunt Morionem*)

Neceſſe eſt riſu ſpectatores emoririer
Si rem transferret iſtam in Comœdiam quiſpiam.

Exeunt.

ACTVS

ACTUS Secundus.

Scena Prima.

Dinon, Æmylii habitu Mar.

Din. *Æmylio*, ecquid stas animo? quin iterum, inquam, *Æmylio*:
Heredis illæ vestes sunt; vereor ne cerebro incommodent.
Æm. Para tibi ornatum novum, & tum mecum fabulator postea,
Quanquam insolens fecero, si sermonē seram cum servulo
Fortunas hasce meas sublatus animus decet.
Siquidem fidelem te præstitisti, hèm manum ad oscula.
Din. Faxo pol osculeris meam, siquidem in os pugnos ingeram.
Æm. Siquidem herclè ingeras, faxo mihi os esse senseris.
Sed ne accedas adeo; odi semper servulos tuos, nihili bestias
Scio quid dicturus, miles sum, potitus hostium
Occisus bis in bello, confossus millies, &c.
Parcas labori tuo: nihil do. benè vale.
Din. Quasi non norimus nos inter nos, mitte nugas *Æmylio*.
Æm. Ego Comes *Æmylio* vocor, ne nomen nescias.
Din. Ergo comes & amice mi *Æmylio*, respondeas velim.
Æm. Rogandi copiam tibi facio, audacter loquere.
Din. Dii te perdant nugivendule, hoc primū Deos rogo:
Nunc te, scripsistin' litteras ad *Polyporum*?
Æm. Hum! quid ais? nos magni viri negotiis
Majoribus impediti, sæpe non advertimus quæ dicta sunt.

Din. Exemplar, litterarum ad *Polyporum* videre velim. Jamne audis?

Æm. Hum! Litterarum? potest fieri ut ostendam tibi.

Din. Potest fieri ut diminuam tibi caput nisi mittas has tricas.

Æm. Obloqueris mihi sic ornato? lege has, inquam, ocyus.

Din. Diis gratias cunctis, marti & seorsim, meo
Domino atque Amico bono, quem colo lubens,
Fera inter pelagi monstra, Nerei greges,
Solitâ virtute filium cepi tuum,
Duosque amicos; servo nunc vinctos domi,
Victore me superbientes plurimum.
Huc properes, redimi sicupis, tantum est, Vale.

Dux Bombardomachides.

Obsecro an inhunc modum scribit *Bombardomachides?*

Æm. Sic loquitur quotidie: linguam cothurnatam gerit.

Din. Avi sinistrâ hæc res procedit, atque ex sententiâ.
Quid agimus nunc jam?

Æm. Ego agam *Bombardomachidem.*
Tu custodem; barbam induas, atque ornamenta cætera.

(Induit)

Hem istuc ocyus: jam Custos purus putus es.
Abi, atque educ captivos, narra rem ordine,
Vt capti sint vi, armis: hic vos operibor, abi. *(Exit Din.)*
Poteram ego nunc universos Mortales ludos facere;
Equidem meipsum pæne metuo: ne personatus *Bombardomachides* *(ornat se)*
Verum *Æmylionem* fallat. Adeon' pervorsa es, *Chlamis*?
Efficiam uti rectius, sedeas: Hei! isthæc tiara'st, *Pyramis.*
Exædificabo cum hâc caput meum tanquam Elephantus,
Hem. Ego sum *Bombardomachidissimus.* (Turrim gesto,

Gu. Vna salus victis nullam sperare salutem. *(Intus)*

Gel. Quid ego tunc egi? nonne pugnabã quemadmodũ,

Hyrcana

Hyrcana Tigris, cum tenelli abripiuntur catuli?
Din. Strenuissimè omnium.
Gel. Certè: nisi multum me fallit memoria.
Mo. Ego etiam aliquid feci.
Gel. Vincuntur sæpè fortissimi;
Tutor, bono animo es.
Gn. Maxime: nam dictum est verissime,
In re malâ animo si bono utare, juvat: *Di.* Sequimini.
Æm. Adsunt; ego nondum comparebo. (*Exit.*

Scena Secunda.

Dinon, Gnomicus, Gelasimus, Morion (habitu *Æmyl.*)

Mo. Hei! Tutor! Tutor; ego non sum *Morion.*
Gn. Quid ais?
Mo. Per Deos immortales non sum, ego novi Morionem sat benè.
Gn. De cælo descendit γνῶθι σεαυτόν. Noscis teipsum.
Mo. Non, non, non novi mehercule.
Gn. Quis igitur es? *Mo.* Quomodo ego scire possim?
Gel. Phy, phy, idem es.
Mo. Sumne? bene habet: sed unde hæ vestes *Gelasime.*
Gel. Sane nescio.
Mo. Nescis *Gelasime?* an hoc sufficit! quid ego respondeam patri?
Quid faciam? Tutor viden'?
Gn Non equidem invideo miror magis ———
Mo. Hei! Galerum! video vos omnes per isthæc foramina.
Gel. Quasi fenestras haber.

 Mo-

Mo. Fenestras! imo fores habet fores *Gelasime*, hei mihi.
Gel. Omnes ingeniosi sunt infælices propemodùm.
Vtinã cavissem isthoc crimine: parẽtes prædixerunt mihi.
Mor. Et mihi, sed ego morẽ gessi, & tamen vestes perdidi.
Gn. Ego idem te admonui, seu potius, admonitum habui
Odi puerum præcocis ingenii, inquit, Vir admirabilis.
Sed quid ego ità compte loquor in miseriis?
Iam licet tibi verè dicere *Gelasime.*
Ingenio perii Naso Poëta meo.
Din. Nisi aliter vobis visum est accersam herum,
Nam vos conventos velit. *Gn.* Immo; pro libitu tuo;
Siquid me velit, Poëta respondere docuit,
Coram, quem quæritis, adsum, Trojus Æneas. (Tutor.
Mor. Mene ut videat cum his vestimentis? dic, qui sim,
Din. Expectant te; cave sis titubes; atque audin' etiam?
Fac risum teneas, nam periculum id est.
Æm. Pish: vultum in manu habeo.
Æmylio.
Gel. Basilicè se infert, tanquam lapis ille Indicus,
Qui spectatorum omnium oculos fertur perstringere.
Gn. Ora humerósque Deo similis!
Mor. Totus horreo tremóque; ego statim vomam.
Æm. Tonitru cum hostes vicimus feros bellico,
Vincere & nosmet quimus, ac vitam dare.
Mens nostra frangi nescit, at flecti potest.
Gn. O quem te memoré, Miles, namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, O Dea certé!
Æm. Eripere possumus lucem & lucem dare.
Sic fulminantis fertur potestas Iovis,
Medio sic bello valet Gradivus meus,
Quid armis possim, estis vos experti satis,
Dabimus alterna, sic visum est Fato & mihi.
Mor. Quid faciam? timor in posteriora decidit,
Anima exire ... stra per posticum cupit.

Gel. Vt bellicè loquitur! non audeo hunc hominem jocis ludere.

Æm. Ob hoc Polyporo celerem misi Nuncium,
Hinc uti vos salvos ducat.

Gn. Mecænas atavis edite Regibus,
O & præsidium, & dulcé decus meum!

Mor. Ego iterùm reviviscam nam aquam vitæ loquitur.

Gel. Vt jam mitescit ferox! haud multùm aliter
Hyæna (mirum) ex mare in fœminam migrat,
Boni ingenii est similitudines rerum fingere,
Et concinnam ego comparationẽ aliquando jocis præfero.

Æm. Quis tu? vel fare nomen, vel longùm sile.

Mo. Ego? servus tuus ——

Æm. Quid aures tundit meas? ha!

Mo. Favoris tui studiosissimus.

Æm. Ambages mittito.

Mor. Filius natu maximus patris mei Ego.

Æm. Nomen rogo.

Mor. Vtinam esset dignum quod exaudias.

Æm. Frustrà sum: tuum?

Gel. Quemadmodum (cum bonâ tuâ veniâ) tu vocaris *Bombardomachides*,
Eodem planè modò delector ego nomine *Gelasimi*.
Facetè meum nomen cum illius confero, quo illi assentari possim magis. (*Scribit.*) (*Feb.*
Insinuavi me callidè ad *Bombardomachidem* quarto Nonas

Æm. Tuum. *Gn.* Sed si tantus amor nomen cognoscere nostrum
Quanquam animus meminisse horret, luctuq; refugit
Incipiam —— *Gnomicus* (si tibi visum fuerit) seu *Gnomico* nomen est mihi.

Æm. Fac serve officium: rursum revortar intrò. *Exit.*

Gel. Certo certius absens mihi toto annuebat capite,
Admiratur ingenium meum! medius fidius captu' st.

Mor.

Mor. Non respondebam illi rusticè *Gelasime.*
Euge *Morion*; nolo me indoctum prædicent,
Licet indigeam vestium.
Di. Placetne hinc vos? *Ge.* Quo?
Di. Vnde educti.
Ge. In cellam illam angustam ac tenebricosam obsecro?
Quam ego Orci januam per jocum nominavi modò.
Di. Scilicet; donec vos Polyporus.
Mor. Eamus igitur; placent tenebræ,
Nam si diutiùs hos pannos conspiciam, lacrymabo largitèr.
Gn. Plautus Comediam scripsit, cui Captivi titulus.
Vates ô Plaute fueras, nam vates nomen ambiguum'st.
Nos jam Captivi. Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.
Mor. Tutor, Tutor, revortere sis ocyùs Tutor.
Gno. Quid est?
Mor. Nihil jam; sed aliquis momordit me de tergo: eamus sodes. *Exeunt.*

Scena Tertia.

Æmylio, Dinon.

Æm. Absumptus sum planissimè: *Gnomici* me expetant pedicæ.
Neque unam ex illius sententiis habeo, quâ me consoler miserum.
Nempe hoc in more positum est, Generosus factus continuo ut vapulet.
Incertum est quid agam, ita isthæc res subitaria'st.
Heus *Dinon,* huc te ocyùs; inquam *Dinon.* (*Intrat Dinon*)
Di. Satin' es apud te? quid vis?

Æm.

Æm. Qui possim? modò in viâ ——

Din. *Bombardomachidem?*

Æm. Dixti. Nullus sum.

Din. Quam mox aderit obsecro?

Æm. Quin adest; vix punctum temporis ad consilium datur.

Iacebit in fermento totus, tum loquetur meros lapides.

Din. Imò pistrinum, fustes, vincula: istæc ne loquatur plus metuo.

Nullamne expurgationem habes?

Æm. Hum! nimium hoc callidum est: imo sic erit ——

Dinon, ita facito.

Din. Quid?

Æm. Hem, tardè, nondum intelligis?

Din. Quid (malum) an ex vultu conjecturam capiam, quid me velis?

Æm. Ad summam domum ascendas ocyùs, & continuo ubi ille

In ædes se penetrârit, fac sonitum horrendum facias.

Quasi (intellextin'?) quasi esses Dæmon aliquis.

Din. Quamobrem?

Æm. Pish, id mora est dicere, abi.

Din. Abeo: sed vidistin' ipse Militem?

Æm. Duobus his, inquam, oculis: molestus es.

Din. Abeo: verum dices Dæmonem. *Exit.*

Æm. Ecce autem adest! morari certum est aliquî hominem.

Scena

Scena Quarta.

Bombardomachides, Æmylio.

Bom. Quis hic locus, quæ regio, quæ mundi plaga?
Vbi ſum? ſub ortu Solis, an ſub cardine
Glacialis urſæ? numquid Heſperii maris
Extrema tellus huncdat Oceano modum!
O ſalve Domus, voſque Penates Dei.
Videon' te Patria? ludit an oculos meos
Imago fallax, non ludit: video ſatis.
Æm. Non opus eſt; mane dum, & ego te ludam ſatis.
Hum—— plenum id pericli eſt—— hanc prius inſiſtam viam.
Bom. Fores pulſabo noſtras, pulſabo pede,
Anticipat quis m:?mo tem quis quærit ſibi? (*Æm. pulſat*)
Verumne cerno corpus? an fallor malâ
Deceptus umbrâ? verum eſt; quid velit ſciam.
Æm. Expergiſcere enſis: teque ad officium para:
Nam fartum ex milite faciam, & comedam poſteà.
Bom. O Scelus! quis hoc Scythico natus nemore,
Sit licet Tigris mater, aut genitor *Leo*,
Quis unquam dixit orbis formido ultimi,
Cannibal, humanos ore eructans cibos?
Abibo, atque iſti cedam furori locum,
Pati nam mortem poſſum, ut exedi pudet,
Pars magna fortitudinis prudentia eſt.
Æm. Quis iſtic? hem! revortere, ſi malo caveas.
Bom. Nihil formido, ſed tamen totus tremo,
Ego miles juvenis, non ſum, credo, falleris.
Æn. Proh deos, deaſque omnes! men' falli dicis?
Bom. Non dico; at magni ſæpè falluntur viri.

Iratus

Iratus ne sis; ira nam res est mala.
Æm. Tun' nosti ubi sit gentium *Bombardomachides*?
Bom. Non novi.
Æm. At nisi jurato non credam tibi.
Bom. Per cœlum, & cæli faces non notum est mihi.
Linguâ juro, mentem injuratam gero.
Æm. Sed nosti probè hominē. *Bom.* Novi aliquo modo,
Immo fortè novi, & non novi forsitàn,
Videtur ille fortis, nec non vir bonus.
Æm. Itane coram in os inimicum laudas meum?
Bom. Videtur tantum dixi, non est vir bonus.
Æm. Rectè animum tuum advertis ad animum meum.
Si has in ædes intrà mensem se coiiciat,
Ità inornatum dabo secundum virtutes suas,
Vt istum perpetuò locum pejus angue, oderit.
Bom. Ego rus revortar: periclum sapiens fugit.
Æm. Ha, ha, ha, ha, vestis commutata quid facit?
Bom. Quæ verbà fundit? —— faciem vidi prius——
Quin redeas, inquam, revorti aliquandò bonum'st.
Ipsus est; dominum servus deludis tuum?
Quis me per auras turbo præcipitem vehet,
Atraque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis?
Æm. Occisa res est, perii.
Advenisse salvum gaudeo; valvistin' usque athleticè?
Per jocum hoc feci adeò, joco venjam rogo.
Bom. Rogas? timendum est; aliquis hic errat dolus.
Æm. Nunc homini subpalpabor: experiri volui,
Vtrum istoc sub ornatu satis delitescerem,
Tu nosti usque in initio quanquam dissimulasti sedulò,
Operam profectò ludet, tibi verba qui daturus est.
Bom. Antequam vidi, novi, per magnum jovem,
Sed in jocantes rursus jocari placet.
Æm. Scio, sed ubi est Eucomissa, & soror mea?

Bom. Sequuntur ponè, men' comitari virgines?

Æm. Quid hic sermones cædimus: ibo illis obviam,
Et dicam ut revortantur domum. *Bom.* Effare quamobré.

Æm. Quia enim ubi hic habitabunt gentium?

Bom. Domi.

Æm. Quid? annon mensis est cum nemo homo intro pedem tetulit.

Bom. Desine: jocari nolo.

Æm. Hem! nondum hoc dixi tibi?
Satin' oblitus fui; adeò mihi nunc jam res vetus est?
Spectrorum, Cacodæmonum, malorum Geniorum isthæc habitatio'st.
Quotidiè colloquuntur, ejulant, gemunt, lacrymant,
Crepant, exclamant, mille diversos sonos faciunt,
Dies me deficeret, si, quæ monstra hic fiunt dicerem.

Bom. Loqueris rem miram: nulla quam credet dies,
Sed nec tacebit: bonân' hæc dicis fide?

Æm. Quin, inquam, decem plus minus dies incolumi capite non eram,
Tantum hæc mihi res de improviso incussit metum,

Bom. Metuistin'? non oportuit: servum meum
Metuisse quicquam? *Æm.* Rectè, si esset similis tui.
Here, quoniam mihi fortassis minus fidem adhibes,
Age, ingrediamur, faxo uti omnia ipsus audias.

Bom. Nihil timeo: sed egon' ut non credam tibi?
Credam plus isthoc: & nihil timeo tamen.

Æm. Vellem mehercule te testem hujus rei: sed fac ut voles.
Ibo illis obviam, atque huc ducam, nisi aliud imperes.

Bom. Tam prope monstra solus hic stabo? benè est.
Abeas —— *Æmylio* redi —— nil timeo tamen.

Æm. Id scio: obtundis. *Bom.* Timeo nil per Iovem.
Tantum est: abi. *Æm.* Libenter. Ha, ha, ha. (*Exit.*)

Bom. Pavet animus, horret, magna pernicies adest.

Incendor irâ, rapior, ſed quo neſcio,
Sed rapior: Spectra in noſtrâ triumphant domo?
Facinus hoc videt ſummi moderator poli
Et nondum tonitru convolvit mundum horrido?
O Phæbe patiens, fugeris retrò licet
Medioque ruptum merſeris cælo Diem.

Din. (*Supra*) Oh, oh, oh.

Bom. Sero occidiſti—— neſcio quid faciam miſer, nam aliquid audio ——
Tuque O Neptune——oh quid faciam? mortuus ſum——
Redeunt tempore, rerum quod primum eſt omnium.

Scena Quinta.

Æmylio, Eucomiſſa, Ægle, Pſecas, Bom. Servus.

Æm Quid eſt, here, ecquid times? *Bom.* Timeon' Ego?
Proh Deos Deaſq; omnes! æthereas prius
Perfundet Arctos Pontus, & Siculi rapax
Conſiſtet æſtus unda, & Ionio ſeges
Matura pelago ſurget, ac lucem dabit
Nox atra terris omnibus. Timeon' Ego?

Æg. Caçodæmones? O ſuperos! audire hoc nomen mihi febris eſt.

Eu. O Venus! tu & ego, mea *Ægle* diſſentimus malè,
Nam mihi cibus & potus eſt, ut aiunt, de his fabularier.
Pſecas, quin Pſecas, inquam, ſurda eſt hæc ancillula;
Tu vidiſti Cacodæmonas, nonne? *Pſ.* Non, ſi placet,
Sed novi aliquam quæ novit aliam, quæ vidit eos.

Eu. Quâ facie erant *Pſecas*?

Pſ. Vnus

Ps. Vnus erat caninâ facie,
Ore & oculis igneis, pedibus bufonis, colore nigro,
Caudâ æquè longâ ac—— & clamabat Boh, Boh, tanquam
Leo.

Æg. O mirum! tota trepido.

Eu. Mecastor, color vertitur. Clamabat tanquam Leo
—— perge *Psecas.*

Ps. Nos omnes illico fugere. *Eu.* Tun' ergo aderas?

Ps. Non si placet,
Sed illa fugit quam novit familiaris mea Philocomasium.

Eu. O: jam intelligo *Psecas*, perge porro.

Ps. Alterum fuisse dixit
Tam similem viri, quam Aqua aquæ similis est.
Et erat nudus totum corpus. *Eu.* Totum? O Venus!
Multum, mecastor, cupio, videre istos Cacodæmonas.

Ps. Imo si magis noveris, *Eucomissa*, magis cuperes:
Nam habuit ——ha, ha, hæ, nequeo cogitans quin rideam.

Eu. Quid habuit *Psecas*? *Ps.* Non intelligis? habuit ——

Eu. Quid? eloquere.

Ps. Tam magnam rem — Nos omnes admirari illico.

Æg. Profectò hic ipse'st Cacodæmon, *Eucomissa*, quem
dixi tibi
Vidisse me secundum quietem nudius tertius in somnio.

Eu. Nulline Cacodæmones nocentiores istis *Psecas*?

Ps. Imo sunt omnium generum: nam quidam latent
Sub specie nigri felis cum sex pedibus.
Quidam sub Vespertilionis, aliorumque etiam animalium
Imo novi, qui ambulant per noctem induti sindone.
Atque inde evenire solet tot quod insaniant vigiles
Cum Curatoribus pacis.
Demergunt se aliquando in ganeum,
Atque illic nocte totâ præ timore combibunt.
Post cænam, si placet, plura de re isthâc disputabimus.

Eu. Nunc eamus visere spectra.

Æg.

Æg. Viden' quis adest *Eucomissa*?

Eu. Mallem spectra: sed fortassis hic est ex eorum monstrorum numero.

Scena Quinta.

Calliphanes Pater, *Calliphanes* Filius, *Æmylio*, *Eucomissa*, *&c.*

Æg. Siccine tibi pro ridiculo est, cui nuptura es brevi?

Eu. Citiùs mecastor nubam Cacodæmoni, quem dixit *Psecas*

Tam Viri similem.

Æg. At ego ne Iovem præfero

In se ferentem precium sine quo Iupiter nihili est.

Cal. P. *Bombardomachides* salve; huc te salutatum advenimus.

Bom. Gratias: sed multus animo occursat dolor,

En alta muri decora, & congestas trabes,

Vt omnis latè splendet infælix domus!

Quicunque regno fidit, & magnâ potens

Dominatur aulâ, nec leves metuit Deos

Me videat, & te Domus.

Cal. P. Quid ait *Æmylio*?

Æm. Nempe quia spectrorum plena est, id dolet.

Cal. P. Spectrorum? ubi sunt? *(utitur spec.)*

Nulla hic video *Æmylio*.

Æm. At intus potes sine quatuor oculis.

Cal. F. Si ita est Pater, utantur nostrâ domo: superest illic locus.

Cal. P. Nunquam vidi melius consilium dari; quid tu *Bombardomachides*?

Potes ibi oportune filiam tuam huic nostro nuptum dare.

Bom. Consilium bonum est, animoque arridet meo.

Cal. F. Sed ubi est Virgo? reliquistin' ruri?

Bom. Sæpe respicias; sæpe, quod quæras, adest.

Cal. F. Latere miror posse tam diu sidera. (*Osculatur*)

Rediisse salvas gaudeo, & meum simul

Hunc esse reditum credo, nam vobiscum absfui:

Condonate Amore cæco, vos si conspexi minùs.

Eu. Si nunquam conspicias posteà lubenter tamen condonabimus,

Misericordes omnes sumus naturâ mulieres.

Æg. Amore cæcus es *Calliphanes*? immo oculis nimium vales,

Quod nec est, nec futurū est vides, cum nos appelles sidera.

Cal. F. Immo *Ægle* verum dixi! nam si cæli facibus

Formosum nondum nomen imponeretur siderum,

Propter similitudinem quandam vestrum id jam nancisci poterant.

Pse. O Diana! toto corde amo has confabulatiunculas.

Bom. *Calliphanes*, oculis nil tale objectum est meis,

Pedibus quanquam cuncta conculcavi loca

Asiæq;, Europæq;, Americæ atq; Africæ,

Aliasq; terræ partes quas taceo sciens.

Cal. P. Memini idem accidere olim cum essem puer,

Anno abhinc—hum--Grammaticæ tum operam dedi.

Anno— hum! quinquagesimo secundo— hum! non convenit numerus,

O—quinquagesimo tertio—is profectò annus est.

Eu. Licetne, Pater, videre has umbras, & malos Genios?

Bom. Videre? nata, non timeo; fac ut voles.

Eu. Aperi sis ostium *Æmylio*.

Æm. Perii in perpetuum modum,

Nimiò nimis metuo ut sint isti probi Cacodæmones.

Sanan' es? credin' illos aspectui tuo obiici perperam?

Eu. Num loquuntur?

Æm. Satis id quidem: sed horrendum in modum,
Cave sis ne animam agas.

Eu. Disputabit cum illis *Psecas.*

Ps. Parata sum satis *Æmylio*, ante hoc temporis disputavi cum Dæmone.

Æm. Scio te bonâ esse voce: proculdubio illum obrues,
Si tympana, bombardas, tubas, & tintinnabula oris tui afferas.

Ps. Itáne me accipis indignis modis? nunquid cristas erigis
De illis vestimentis? amabo, unde habes mi *Æmylio?*

Æm. Pish, dicam tibi, cum sit otium. Quid ais *Calliphanes?*

Cal.F. Vbi clavis? cedo mihi sis.

Cal.P. Quid stas lapis? quin aperis?

Æm. Dii te silicernium—— Vnum pedem in Charontis cymbâ habet (secum)
Et altero tamen ambulat.

Eu. Oh! non audis malos Genios?

Bom. Ha!

Cal. F. Nihil est: crepuerunt fores.

Æg. Crepuerunt? O sordidas fores. (*Supra*)

Din. Oho, oho oho, Vrite, fundite, tundite, vertite domum.

Bom. Oh, oh—— valete: & timeatis nihil.

Eu. Quo abis Pater?

Bom. Videre non sustineo tot timidos simul.

Exit. Bom.

Eu. O Deas! hæc illa Leonis vox est *Psecas.*

Æg. Abeamus obsecro, *Calliphanes.* (*subt.*)

Gno. Flectere si nequeam superos, Acheronta movebo.

Cal. F. O Poëticum Dæmonem!

Æg. Est furiosissimus omnium proculdubio.

Cal.P. Mira sunt: nunquam vidi tale quid, nisi anno abhinc quinquagesimo tertio.

Mor. O! protecto sum in Barathro... (*Subter*)

Eu. O *Psecas*, quid faciam?

Ps. Quid? faciam periclum in disputatione. Quodnam est tibi nomen Dæmon?

Æm. Itáne ineptè stulta es? cave ne te rapiat in maximam malam crucem.

Ps. Mene? non aude..; ego illi oculos effodiã Carnifici.

Gn. Ζεῦ πάτερ, ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα, καὶ οἱ ὑπάνερθε καμόντες,
Ὑμεῖς μάρτυροί ἐστε.

Ps. Immo etsi loquaris Hebraicè,
Ego bene intelligo.

Æm. Abi sis stulta: Græcum est hoc tibi.

Din. Ohò meretrix!

Ps. O scelus! ego introibo: ne me detine.
Involabo in faciem illi: Egon' meretrix appellabor a malo Genio?
Mentiris Cacodæmon, mentiris.

Æm. Medius fidius hæc mulier Cacodæmon est.

Æg. O Venus! nihilne vides *Eucomissa*?

Eu. Maxime: ubi est?

Æg. Ingentem, nigrum ursum!

Eu. Proh Deos immortales! cum caudâ Igneâ.

Cal.F. Vbi est? ego nihil planè.

Æm. Nihil? circumspice: ut scintillant oculi!
Psecas, cave malum: nam te devoraturus proculdubio huc venit.

Ps. Oh!

Cal.P. Quid aiunt *Æmylio*?

Æm. Ingentem belluam illic— vide modo.

Cal.P. Vbi sunt specularia mea? Oh nisi fallor Leopardus est.

Quid

Quid hoc monstri? Gnate, abeamus precatum Deos.

Din Occidam, jugulabo, interficiam, capiam, rapiam omnes illico (*sonitus supra*)

Eu. O *Ægle*! cedo manum, & fugiamus. *Exeunt.*

(*Infra sonant catenæ.*)

Æm. Ha, ha, hæ, descende ut te exoscular bone Cacodæmon. *Exit.*

Din. Venio: virite, fundite, tundite, cædite, vertite, &c. *Descendit.*



ACTVS TERTIVS.

Scena Prima.

Æmylio, Dinon.

Æm. Age, incipe *Dinon.*

Din. Non, non: exemplum a te capiam.

I.

Æm. *Purgate cerebrum, Medici O insani,*
Nec sitis amplius Mortis Publicani.
Ob hominum peccata Orbi
Vos primum missi, posteà morbi.
Doctrina capit ægrotare,
Et Sese voluit expurgare:
Tam vestrum quidam vomitu per ora
Existis, quidam per Posteriora:
Sic natos, via est inventa,
Vt vos nutrirent Excrementa.

Nos melius homines evacuamus
Et loculis Clysterium damus.

Am. *O sacram rem ! scientia talis*
Dicenda est sola Liberalis.

2.

Din. *Sartores legum, stentorumque natio,*
Iam vobis Longa facta sit Vacatio.
Vestri parentes litigarunt
Tunc cum vosmet generarunt.
O vos miseros si uxores
Similis vestri essent oris !
At suos multæ Clientes habuerunt
Tunc vestras causas alij egerunt.
Rectè:nam nulli velint haberi
Causidicorum filii veri.
Iam vobis fallere Lege ne sit curæ,
Sed fallite nobiscum Iure.

Am. *O sacram rem ! &c.*

3.

Æm. *Friget inter ignes ars tua, Alchymista,*
Argentum, nisi vivum, non habet ista.
Cum qui sunt & qui fuerunt
Omnes philosophi eguerunt.
Quem fore reris divitem
Per Philosophicum lapidem ?
Huc adsis, hic ex lapide lucrum capis:
Quid aliud stultus, nisi Philosophi lapis ?
Hunc sapiens coquet, distillabit,
Plumbeus licet, aurum dabit.
Quid ex syderibus quæris cursum Fati ?
Prudentium gratiâ stulti nati.

Am. *O sacram rem ! &c.*

4.

Din. *Præteritorum, Mathematici, vates,*
Qui præter barbam nihil jam alatis.
Queis cælum creditur magis notum,
Quam Deo, qui id fecit totum.
Qui illud tam se putant scire
Illuc ut recusent ire.
Vos, a secretis syderum———

Æm. Aufer te ocyùs Mathematicé, nam adest *Bombard.*
Din. Opportuné; nam hærere cæpit carmen —*scientia* (*talis.*
Dicenda est sola liberalis. *Exit.*

Scena Secunda.

Bombardomachides.

Bom. *Æmylio.* *Æm.* Hem!
Bom. Quis somnus aures, quis vapor claudit tuas?
Æmylio, rursus voce non parcâ tono.
Æm. Et ego rursus tono, Hem tibi.
Bom. Opaca linqueus Ditis inferni loca
Nigri profundo Tartari emissus specu,
Incertus utras oderit sedes magis.
Æm. Quam longum est iter ad id quod vis.
Mihi herclè viatico usus est.
Bom. Quid dicis? audax Dæmon (O audax nimis)
Nostros cruentus occupat serpens Lares,
Hic regnat, immo hic, regnet at nolo diu.
Æm. Scilicet; & hoc vis me ut sciam, qui primus id locutus tibi sum.
Bom. Locutus? at quam parum id? hic tonitru pares,

Hic

Hic fulminantes stringere jambos decet.
Quis O Cothurnis mille sat clarum boet?
Æm. Mehercule cothurnorum mille jam instar habuisti pulchré.
Bom. Est intus (virumne dicam, an potius Deum)
Quique evocavit nubibus siccis aquas,
Egitque ad imum maria. Oceanus graves
Interius undas æstibus victis dedit
Pariterque mundus lege confusâ ætheris
Et solem & Astra vidit.
Æm. Orationem compendiface; scio quid sequitur,
Et vetitum mare tetegistis ursæ, Temporũ flexæ vices &c.
Nempe hic post tot ambages tandem exorcista est.
Bom. Hic monstra tanta voce terrebit suâ.
Æm. Prohibessint Superi, cave ne committas tandem,
Vt malé dictiterur tibi in sermone publico,
Si cum istarum operarum homine negotium contrahas.
Bom. Mutire de me Fama non audet; tace. (est?
Æm. At metuo famæ tuæ, uti me par est facere: Vbi is
Bom. Mox moxq; nobis aderit; hoc lentum est; Adest:
Parum est & hoc, quin, Adfuit —— Claves mihi.
Æm. Quamobrem?
Bom. Illius ictu noster hic cardo strepet;
Ædesq; viset—— Verba compescas miser,
Peribis, at quid dixerim? infælix Peris.
Æm. O quantum est deorum, quid me jam fiet deniq;!
Itáne tantum facinus tam insignité in te admittere?
Ten' claves ferre? Ætherias prius
Perfundet Arctos Pontus, & Siculi rapax
Consistet estus unda, & Ionio seges
Matura pelago surget, uti modò pulcherrimé
Dixisti! I præ, sequor, subsequor te. *Exit.*
Bom. Cum recta dicis, laudo, consilium placet. (china
Æm. Quoties hæc res in nervum pené erupit! bona ma-
Quam nequiter expetivit! *Scæva*

Scena Tertia.

Dinon.

O Dinon audistin' nos nullos esse ?

Din. Auscultavi ab ostio omnia; Dii te infælicitent cum cantionibus.

Hoc est scilicet ante Victoriam Encomium canere.
Perdidisti nos planissimè. O sacram rem! scientia talis
Dicenda est sola Liberalis. Quando aderit ille
Cujus vox, tanquam Galli multo mane, perterret adeo Cacodæmonas ? *Æm.* Modo. *Din.* Modo ?

Æm. Modo: jam, & veniet hercle non ingratiis meis.

Din. Sed enim quid de captivis.

Æm. Manta modò: istuc ibam. (fuit.
Nam nova atque elegans fallacia numerò mihi in menté
Abi sane, educ legiones tuas, traduce properè ad proximũ.

Din. Nempe in quem finem?

Æm. Illic (nostin' !) scholam aliquam aperiant.
Aliquid aliquos doceãt; ejus rei fructus longè uberrimu'st.
Nam & ab eorum oculis concedent, & quæstum tam ingentem facient,
Vt brevi se captos redimant præsenti pecuniâ.
Modo aliquid mirum profiteantur, & usitatum minus.

Din. Quid si litteras? *Æm.* Pol istud nunc dierum inusitatum satis.

Sed quis eas gratis discet, tantum, ut det mercedem, abest?

Din. Cheiromantiam, Physiognomoniam, aut aliquid ejusmodi?

Æm. Omnes jam illas technas despicatas habent ac nihili
Nisi forte puer, vapulabit necne, exquisitum eat,
Aut Ancilla, quot maritis ac quibus nupta sit futura,

Din.

Din. Quid tandem ?

Æm. Dicam. Omnes nunc homines videri volunt
Faceti atq; eleganturi ; ad eam rem quovis pacto affectant viam ;
Novi qui amicos, qui vitam amittere, quam jocum malunt,
Ita risum, captant, & habent quod volunt, nam mehercle sunt ridiculi
Eâdem hâc scabie laborat *Gelasimus*, ut qui maxime.

Din. Vis itaque illos profiteri Iocandi Artem ?

Æm. Tenes.

Din. At enim commovere risum nequeunt, nisi deridendos se propinent.

Æm. Recte: hoc est jocari nunc dierum, preterea quis est qui nequit
In cognatione verborum, & sympathiâ quâdam ludere ?
Quot vocabula ad sutorem pertinent, quasi destinata hujusmodi salibus ?
Ea habeat in mundo omnia. Quot autem ad Philosophum?
Ars, Prædicabile, Arbor Porphyriana, Prædicamentalis scala,
Conversio, Fallacia, Major, Minor, Barbara, Cæsare,
Celarent, Ferio, Festino, sic tollo, Dictum simplicitèr,
Secundum quid, Disputo ad Hominem, Reduplicativè, &c.
Nam ad Conclusionem venio, Terminorum hic usus optimu st.
Nam cum offendas eos in Authoribus, jurabis non esse scriptos seriò.
Commoda sunt & Authorum quorundam nomina Ramus, Scotus, Faber,
Tostatus, Suaresius, Naso, Tranquillus, Suetonius, Tacitus, &c.

Bom. *Æmylio.* *(intus)*

Æm. Me vocat, illicò. Quid dixi ? oh! est aliud genus salis
Deridere omnes mortales: parata sint (nam vacua pudet esse pugillaria)

Scom-

Scommata in omne genus hominum;sed hi joci consistunt plurimum
In ridendo clare,in contrahendo nasum, & induendo jocularem faciem.
Barba quoq; mirum in modũ utilis est, si attrectant benè,
Aliquando etiam jurent ornamenti gratiâ, sed Dii boni!
(Pene excidit mihi) mercede conducant aliquos
Qui domi factitent, aliquos qui eant petitum foras,
Ex Conuivijs, disputationibus, Comœdiis, Concionibus.
Aliquos etiam qui excribant, nam venales habere debent
Seniles, juveniles, viriles, muliebres, Generosos jocos.
Hæc & similia doce illos, abi sis;fac officium; sed audin'?
Adesto illis semper,ne liberati in pedes se coniiciant. Quod ego jam faciam.

Din. Effectum dabo; Iocandi artem? ha, ha, ha! *Exit.*
O miram rem! scientia talis dicenda est sola liberalis.
Exit.

Scena Quarta.

Caliphanes, p. Cal. f.

Cal. p. Itane obstinatè operam das facere me advorsum omnia?
Ego istuc ætatis obsequens obediensq; erã imperio Patris.
In mare ibam,rem familiarem augebam lucro.
Ten' virginem liberali facie,nollẽ in uxorem ducere,
Cui, tantum dotis dictum est? *Cal. f.* At hodiè, Pater?

Cal. p. Eia! quam elegans! cras etiam dices, At hodié Pater?

Cal. f. At vetant Mathematici infaustâ hâc luce adornari nuptias.

Cal. p.

Cal.p. Periit,religiosus est;jamne patrissas *Calliphanes?*
Pudet tui,pigetque.

Cal.f. At ægrotus sum,non valeo, pater.

Cal.p. Immò non ægrotas jam,sed malè habes *Calliphanes.*
Si animus ibi esset —— & quidni sit ?

Cal.f. Præterea—— *Cal p.* Age,quid præterea ?

Cal.f. Nihil est parati ; solitudo in ædibus ; hæccine conveniunt nuptiis ?

Cal.p. Nempè id de industriâ: volumus isthoc sine tumultu peragi.
Vt ne tanti fiant sumptus,tamq; in nullam rem utibiles.
Quid sibi volunt Hymæneum & cantiùnculæ ? quasi tu nequeas
Ire cubitum,& dare operam liberis sine auxilio fidicinis.
Proin tu & illa hanc rem quasi injussu nostro,tacitè agite.
Nisi fortè Æmylione,& Ægle arbitris.

Cal.f. Ægle ? maxime.

Cal.p. Abi modò, atque morem mihi gere.

Cal.f. Quid si nonvult,pater ?

Call.p. Nequicquam nonvult ; ità illam intús admonuit pater.
Aggredere illam amatorio more ; Ah ! Ego isthuc ætatis ——
Sequere me sis intrò ; Audin' ? nisi quod imperavi facias
Patrem me esse senties,atque iratum ex leni ; dixi *Calliphanes.*
Dii boni, quanta est prudentia, moderari posse filio in hunc modum !

Exeunt.

Scena Quinta.

Æmylio, Psecas.

Ps. Quid ais *Æmylio*? amabò audistin' adhuc
De novâ scholâ? Dii vestram fidem! rem lepidam!
Vehementer cupio illam videre, & periclum facere
Quid in jocis possint, sentient quæ mulier siem.
Non metuo sané, ut posteriores feram.
Audistin' quam fortiter disputabam modo cum Dæmone!
Ne verbum quidem habuit, quo responderet mihi (odit
Æm. Plus vocem credo tuam, quam *Templi* Campanæ
Aut concionatoris rustici, qui illum Leonem vocat.
Nunquam tuam audebit auferre secum animam
(Licet suam esse noverit) quia potentia
Tantùm loquendi illic manere dicitur.
Ps. Meritissimo tuo te eximium habeo, ità lepidé loqueris!
Derideri me facile patiar, si isthoc fiat modo?
Donabo te ob hos lepores, ut mihi osculum feras.
Æm. Si me necesse est herclè hoc pacto remunerarier,
Abhorrentem feceris brevi a facetiis omnibus!
Sed auferamus ridicularia. Vin' tu fortunata fieri?
Ps. Equidem cupio; etsi infælix non sum, Diis gratias:
Æm. Fac induas regillam induculam, fac gemmus splen-
Et filiam ted esse simules *Bombardomachidis*. (deas,
Ps. Cupio id mecastor; sed erro quam insistas viam.
Æm *Gelasimus* hic in proximo vendit jocos
Hæres ditissimus, atque uti esse tales solent,
Merus stipes, hunce hominem admutilari pervelim.
Itaque hodiè inter te atque illum nuptias cupio facere.
Ps. Nuptias? ha, ha, hæ! mecastor facinus lepidum!
Æm. Sic tu tibi divitias facies, atque illum pro arbitrio
reges,

Multoq; tum liberius amare licebit quempiam
Quam nunc licet : ut voles etis; Ille, Vir bonus,
Aut ignorabit prorsùs, aut ad calicem dormiet vigilans.
Ps. Scio; nam cum facta ero Heroina nobilis
Æquum est oblectare memet illo more Aulico.
Æmylio, tum me vises aliquandò, tui immemor
Non committam ego ut siem.
Æm. Sed properato opu'st.
Para te ocyùs; ego te producam illuc.
Psecas, insiste hoc negotium sapienter & caté.
Nam nisi sedulò fingas, quasi animum illi adjeceris,
Nihil agis. *Ps.* Pisti ! potin' ut molestus ne sies ?
An docenda sum hoc ætatis inescare homines?
Ego vel te, *Æmylio*, captare poteram : abi.
Ne sis in expectatione mihi, cum parata sim.
Quiescas cœtera.
Æm. Immò non metuo, ut sis satis mala,
Te magistram quæram mihi, unquam si defecero.
Ps. Docebo equidem libenter; quod possum: Abi modò
(Exit Æmylio)
Nubam sanè non gravate, sed nunquam filio
Me gravidam faciet, ad hanc rem alius
Illius fungetur vice; ne natus ex me siet,
Mihi qui sit dedecori, atq; ingenio meo. *Exit.*

Scena Sexta.

Gnomicus, Gelasimus, Morion. (Schola aperitur.)

Gno. M. T. Cicero, Oratorum omnium Coryphæus,
(Quo verbo ipse usus 't) De Orat. secundo libro,

Quem

Quem oculis meis plus amo; Artem negavit esse Salis.
Erravit; Ciceronem semper ego existimavi hominem.
Gel. Pish! Cicero salem non habuit; quisquamne de tot vocabulis
Figurarum & Troporum nullum unquam faceret jocum?
Poteram herclè ego ab Aurorâ ad hoc quod est diei ——
Ah Metaphora, bonum es verbum: & lepores herclè hujusmodi
Ex Academici lectoris oratione collectos habemus plurimos.
O Dii boni! jocum pulcherrimum excripsimus in Tulliū
Qui nudius quartus in Scholis publicis dictus est proximæ Academiæ.
Legam vobis —— (*ascendit in cathed.*)
Gno. Sed ferox nimiùm ne sis in Ciceronem nostrum,
Nam erat Eloquentiæ Pater.
Gel. Quid hoc? oh—— Iocus magnus in Prætoris oppidani cornua. ——novi——
(*quærit paginam*)
Iocus in militem malè vestitum—— An ostenderunt terga? —— oh——
Hic exemptus'st ex meis pugillaribus—— & certè magnus est——hum!
Quid hoc? Ex declamationibus publicis nono die Novemb. unus jocus,
Sex demi-joci, & tres egregiæ sententiæ. Oh! memini—— Ioci sacri
Et pia Hilaria——nunquam hæc vendemus ——
Oh——jam inveni—— Iocus magnus in Ciceronem.
Gn. Lege; arrectisque auribus asto.
Gel. (*legit*) Ciceronis nomen vanum, Abeat nunc in Tullianum, & potest converti
Ad laudem Ciceronis in hunc modum—— Cicero Oratorum Coryphæus est.

Mor.

Mor. Tutor hoc tuum est verbum. *Gel*. Cæteri abeant in Tullianum.

Gn. Optimè! nam est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.

Mor. Ha, ha, hæ! *Gel*. Quid rides?

Mor. Ha, ha, hæ: Abeat in Tullianum? ha, ha.

Gel. Hoc dictum in utramque partem accipi potest, est jocus ambidexter. Ibi ego

Obitèr facetus sum; audin' Tutor? *Morion* scribe isthoc.

Mor. Maxime.

Gn. Hem! suntne in mundo omnia?

Gel. Sunt in orbe terrarum: Ibi iterum: Ludo Tutor, in dictum tuum.

Mor. Ioc: jo. — jocus —— Estne *Gelasime* cum *g, o*, vel cum *i, o*?

Gel. Cum *i, o*: Scripsistin'? *Mor*. Ita credo.

Gel. Repete: *Mor*. Dexter est

Ambe—joci. *Gel*. O scelus! est jocus ambidexter, cedo calamum

Mor. Maximè; in idem redit Scripsi valdè benè Tutor

Gn. Immo: insanum bene, ut Comicè loquar: Ibi ego *Gelasime*—— (hae.

Gel. At malè vereor ne quid hoc de gravitate meâ detra-

Non, non, ipsi Doctores jocantur in his regionibus.

In condemnatos salsi sunt ipsi Iudices,

Dormiunt, capite annuunt. & ille Iudicialis jocus est.

Generosi jocis solvunt Creditoribus.

Hìc homines omnia joco. Promittunt joco.

Ioco jurant, joco fallunt; rem agunt divinam joco.

Pænè dixi, vivunt joco: tantum jocantur serio.

Gn. Atque ego ità faciam: si canimus sylvas, sylvæ sint Consule dignæ.

Gel. *Morion*, vide ecqui licitatores propè sint: an prospectus est sterilis?

Mor.

Mor. Ioci, novi joci, optimi novi joci, quis emit novos jocos? (est

Gno. Nullos ne nundinatus es modò? hic dies scelestus
(Vt utar Comici phrase) divendendis jocis.

Gel. Mox dabit nobis grandes bolos: ita supercilium salit.
Non sum ob nihilum tam ingeniosus hodiè,
Nunquid cessavi hoc mane lucri facere?
Vendidi modò mulieri, nescio cui, duos jocos
In Papam *Iohannam*, quos missuram ajebat sese
Ad electum fratrem suum fidelem pastorem in Angliâ,
Vnum etiam aut alterum de Clavibus & Coronâ triplici.

Gno. Quanti emit?

Gel. Vnis drachmis in jocos singulos.
Sed corollarii loco voluit sibi unum dari
Demi—— jocum in *Bellarminum*: itaque dedi, Mentiris *Bellarmine.*

Gno. Benè habet: Capram cælestem orientem conspeximus
Id est, Beati sumus. Teste Erasmo Roterdamo in Adagiis.
Ecquid aliud?

Gel. Præstinavit etiam Iusticiarius quidam quatuor jocos,
In honorem Legis; & sex ingeniosas sententias
Quas in cænâ dicturu'st, cum vicinos quotannis accipit
Clientum alitibus. Venit postillà Iesuita aliquis
(Quantum conjecturam capio, nam ornatus erat basilicum in modum)
Et pecuniam in antecessum dedit, ut sibi facerem
Salsum & ingeniosum Dialogum inter Lutherum & Diabolum.
Omitto reliquos ——

Mor. Pax! st! adest emptor: quid vis tibi Domine
Novos jocos, optimos novos jocos!

Scena Septima.

Iuvenis Academicus.

Acad. Vellem mihi dari Archididaſcalum hujus ſcholæ.
Mor. Dari? non, non; habebis, ſi vis emere tibi.
Ac. Quis eſt Archididaſcalus?
Mor. Ego ſum *Morion.*
Ac. Sed illum conventum cupio.
Mor. Non me cupis?
Ego poſſum jocari aliquando.
Gel. *Morion*, excribe ſis
Hanc paginam.
Mo. Totam? vis, credo, vitam meam interimere.
Gno. Iuvenis, eccum me præſto tibi. Coram, quem quæritis, adſum
Trojus Æneas.
Ac. Si Æneas tibi nomen ſit, alium volo.
Gno. Non, non: ſed loquor cum Poetâ: is ſum, quid veniſti loquere.
Ac. Muneris noſtri eſt moderari inter diſputantes in ſcholis publicis.
Gn. O! Agonotheta es, ἀπὸ τῦ ἀγὼν & τίθημι: nam ſic docti vocant.
Ac. Facetus videre velim; tantam libenter dabo
Mercedem, quantam alii ſolent, eodem qui officio functi ſunt.
Gel. Rectè: nam ſi argumenta non potes, ſolvenda eſt pecunia.
Audin' quæ dixi? *Morion* ſcribe hoc ſis ocyùs.
Mor. Dii te perdant,
Credo te jocari ſolitum fuiſſe in utero Matris,

Atque

Atque ita semper facis, mihi ut facessas in scribendo negotium.

Gel. Memento tamen, Iuvenis, in quo sis loco,
Ingeniosus esse non debes nimis.
Nullumne adhuc habes in parato joculum?

Ac. Nullum equidem præter, satisfecisti officio tuo.

Mor. A—r—ar——a——rgu—— O jam habeo——

Ac. An bonam habetis copiam philosophicorum salium?

Gel. Videbis: *Morion* cedo libellum de jocis Philosophicis.
Hem! legam tibi aliquos.

Scena Octava.

Mulier.

Mu. Quis intus est?

Mor. Quis hæc mulier est? quid vis?

Mu. Tune es Magister Scholæ?

Mor. Ego sum, Ego: quid tua? Magister? maximé.

Mul. Recede quæso; est tibi quod in aurem dicam. Nupta sum, si placet,
Imperito morum, & impuri oris Viro,
Qui me meretricem vocat; Mentiris dicit, & Canis es.
Itaque ego emere illi facetias volo.

Mor. Nupta es imperito morum & impuri oris Viro; (*clara voce*)
Qui te meretricem vocat: hæc in aurem dicis mihi?
Non, non: quid si dolus hìc latet?

Gno. *Mulier*, adi sis propiùs.

Ac. Ha,ha, hæ! non abstineo quin plaudam——accipe sis pecuniam. (*plaudit manib.*)
Ob isthoc credo dictum me sustollent humeris.

Gn. Cujus generis facetias vis?

Mul. Omnium, si placet, generum.

Gn. *Morion*,cedò Pia hilaria,nunquam hæc vendemus alitér.

Mul. Non multa, si placet, pia.

Gno. Non, non, pauca pro Die Dominico.
Vin' etiam jocos generosos ?

Mi. Quoscunque tibi visum'st.

Gn. At aliqui lascivi sunt.

Mul. Non refert,si sint tantum aliqui.
Indica, fac pretium. *Gn.* Non cari sunt sex minis
Tu verò quoniam pulchra es, & Pulchrior est virtus veniens è corpore pulchro.
Sex solidis feres. *Mu.* Accipe; Dii vos sospitent.

Mor. Nunquam sic auferes; aliquid mihi dabis. (*Osculatur*) *Exit.*

Ac. Profectò, si unquam te in Academiâ uspiam viderim,
Accipiam te opiparè coctis prunis, & cervisiâ primariâ.
Sed necesse est, ut confutationē Orationiscomponas mihi.

Gel. Effectum tibi dabo nunc jam; mihi facilè effluit.
Morion, adesdum, scribe, quæ loquor; paratus es ?

Ac. Sed ità componas oro, ut eadem confutatione hâc,
Respondeam aliis Orationibus.

Gel. Omnibus, si vis.
Antequam ad Disputationem deveniamus, ad aliqua tibi respondendum est, habuisti itaque in vestibulo Orationis tuæ——

Mor. Quid? vest—— vestiblum—— delectaris credo vocabulis
Quæ sunt scriptu difficilia.

Gel.

Gel. Aliquid de meis laudibus, ſed profectò ego ingenuè fateor me
Non meruiſſe tantum de meis laudibus. Dixiſti porrò——
Dixiſti porrò, aliquid de Mari Philoſophico——

Ac. Quid ſi non dicit?

Gel. Piſh, ne time: nunquam quiſquam omittet Mare Philoſophicum——
Sed video nullas hinc natas Veneres—— ha! quid ais Iuvenis?

Ac. Hum! hum! hum! medius fidius pulchrè.

Gel. Dixiſti etiam quod—— & tum interponas illius verba.

Ac. Quæſo tu id facias; non poſſum quicquam interponere.

Gel. Benè habet: non eſt opus; perge ad hunc modum.
Cætera ex memoriâ dilapſa ſunt, itaque ſic——& tum
Accingas te ad diſputandum, ſcripſiſtin' *Morion*?

Mor. Ferè; Dilapſa ſunt, itaque ſic—— & tum te accingas ad diſputandum. *(legit)*

Gel. Piſh; non oportuit ſcriptum—— & tum te accingas.

Mor. Non? ſignificatum hoc oportuit mihi—— ſed delebo tamen.

Ac. Nihil ſuprà: O ſi repetere poſſim cum ingenioſo tono.

Gel. Id facillimum eſt; audies Morionem, *Morion*, procede in medium.
Et lege Confutationem, uti ego te docui.

Mor. Tun' me docuiſti? non; ego naturâ ſic loquor.
Antequam ad Diſputationem deveniamus ad aliqua tibi
Reſpondendum eſt, habuiſti itaque in veſt —— veſtibulo Orationis
Tuæ aliquid de meis laudibus, ſed profectò ego ingenuè fateor,

 Me

Me non meruiſſe tantum de meis laudibus, dixiſti porrò
aliquid
De mari Philoſophico, piſh ne time, nunquam quiſquam.
Gel. Quid? ſcripſiſtin' id ? dele, inquam, ocyús.
Mor. Quid ? non eſt jocus? delebon' ego jocum optimum? benè, ſi vis —— *(delet)*
Sed video nullas hinc natas Venena——
Gel. Quid?venena ?
Mor. Maximé; annon rectè id quidem ?
Gel. Piſh ! Veneres.
Mor. Veneres? benè;in idem redit— Cætera ex memoriâ dilapſa ſunt,
Itaque ſic ———
Ac. Legit pol facetiſſimè : quî datur, tanti indica.
Gel. Non cara'ſt auro contrà; ſed ſolido tibi deſtino.
Mor. Non,non: ponam ego precium illi, quià repetebam bené.
Viden' has veſtes, joculares nimiò nimis?
Dabis mihi ſubligacula.
Ac. Hem tibi ſolidum— adeſt peregrinus —
Valete; confutabo nunc omnes homines, quibuſcum loquor. *Exit.*

Scena Nona.

Bombardomachides.

Gn. Adeſt alius :
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris ?
Bom. Heus! ecquid iſtâ venditis jocos ſcholâ ?
Effare & iſtud pande, quodcunque eſt mihi.

Gno.

Gno. Dicis vera quidem, veri sed graviora fide.
Vt Ovidius in Tristibus, quem librum composuit
Postquam in exilium missus est ab *Augusto.*
Sed sine me dicere tibi cum Poëta; Dic nomen.

Bom. Meumne nescis nomen? O ingens scelus!
Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deêrit, haud nomen meum
Latebit ullos.

Gno. Hic homo, (quantùm video) nondum Virgilium legit,
Nam eandem rem cum Poëtâ quantò dixisset melius.
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Mor. Vix audeo herclé; Hem! fortem me præstabo.
Novos jocos, optimos novos jocos, emisne novos jocos?

Bom. Ain' carnufex?

Mor. Nihil, profectò nihil.
Mecum ipse loqui soleo; hic homo non jocatur.

Bom. In profligatas hostium turmas jocos
Empturus argentum fero, argentum bonum;
Minasque quisquis numerat, inveniet duas.
(*ostendit pecun.*)

Mor. Ha! ha! habeo! hem tibi jocum pulcherrimum.
Ad hunc modum hostibus responde. Abite in Tullianum,
Et ad laudem eorum converti potest, si dicas modò
Ne abeatis in Tullianum, ha, ha, he!

Gel. Ecquid pestis te tenet? in Ciceronem id oportet dictum.

Mor. Scio hoc, sed aliis applicari facilè potest; annon
Locus est in carcere quod Tullianum appellatur?
Possum ego jocari satis in loco, diis gratias.

Gel. Hem tibi sales militares!

Gno. *Alexander*, ſeu Pellæus juvenis
Nunquam eſt locutus meliores, exempli gratiâ,
Rex, inquis, Macedonicus mihi ipſe dedit ——
Tum dicet aliquis, Quid dedit? pecuniam?
Reſpondes facetiſſimè, Tergum vel Pænas dedit.

Bom. Sed fac Iambi cuncta ut incedant pede,
Efficias jam nunc, nam mox huc referam gradus. *Exit.*


Gel. Ædipol næ commodè proceſſimus, lepidè hoc officium fungimur.

Mor. Pulchrè nos inter nos congruimus, ingenioſi omnes ſumus.

Gno. Sævis inter ſe convenit urſis, ut Vir omni litterarum genere cultiſſimus.

Gel. Hei! obruimur multitudine. Abite, bellua eſtis multorum capitum,
Ha, ha, ha! multorum capitum! ha, ha! redite poſt prandium,
Vos qui eſtis bellua multorum capitum. Tutor, eamus quæſo ad prandium.

Gno. Rectè, nam, ut inquit Poëta,
Ludit permiſtis ſobria Muſa jocis. *Exeunt.*



ACTVS QVARTVS.

Scena Prima.

Cal. Filius, Eucomiſſa.

Cal. F. O me hominem invenuſtum!
Eu. O infortunatam me puellulam!

Cal.

Cal. F. Amare res liberrima est, Amare tamen cogor.
Eu. Odisse res est liberrima, Odisse tamen vetor.
Cal. Cur superi, quam amemus eligunt, quâcum vivamus Patres?
Eu. Cur Patres in corpora potestatem habent, in animos superi?
Cal. Adest *Eucomissa*, aliquid ei dicerem, sed quid dicam, nescio.
Eucomissa —— **Eu.** Quid?
Cal. Ne valeam, si verbum ne nuptiis
O *Eucomissa* —— **Eu.** Quid? fac me ut sciam, siquid vis.
Cal. Egon'? nihil.
Eu. Cur vocasti autem?
Cal. Immo tantum est, Salva sis.
Et —— aliud certè volo si ad audiendum adest benignitas.
Eu. Adest, sed in pauca conferas.
Cal. Siquid unquam ego ——
Eu. Exordia *Calliphanes*? quasi docilis reddenda sim & benevola?
Ad rem veni.
Cal. Verbo expediam, Vale. *Exit.*
Eu. Enimverò ad hoc audiendum adest benignitas. Vale.
Næ ego infælix puella, tam suavem quæ amasium nacta sum!
Intemperiæ hominem tenent, at Patrem multò magis,
Qui huic me hodiè nuptum cerrito daret. O *Æmylio*,
(*Callipha. redit.*)
Tecum vivendum est solo, si vivendum est mihi.
Te Pater, tu me cepisti, injuriam fortunæ ultus es.
Cal. Eucomissa, salve, aliquid te rogatum oportuit
qua me propter huc exanimatum reduxi tibi.
Eu. Satin' molestus tandem? quæso te ut sanus sies.
Cal. Præter jus æquumque oras, nam amare, & simul sapere,

Ne

Ne deos quidem penes eſt, ſed Eucomiſſa; hodiè?
Eu. Ajunt. *Cal.* Quid Pater?
Eu. Iubet, inſtat, urget.
Cal. Si hodiè nuptura es mihi, cras me efferes.
Eu. Falſus es; nam ſi nubam hodiè, hodiè moriar.
Cal. Epitaphium mihi fiet in Epithalamii loco.
Eu. Genialis mihi lectus ſepulchri fungetur vice.
Cal. Ob lepidum iſthoc dictum nunc demum places mihi.
Nunc illud eſt, cum te libentèr penè in uxorem acciperem.
Quam vox ſonabit blandum cum promittat tua,
Quæ tum, cum negat, ſuavis eſt!
Eu. Mecaſtor ego
Vix jam a memet impetro, ut ne te amem,
Cum te amari nolis ità amanter facis.
Cal. O amore omni dulcior contentio!
Eu. O omni pace jurgium optabilius!
Cal. Sic ſuâ Turtures molliores Venere,
Et murmurant, & gemunt, & queruntur invicem,
Sed queſtus inter, gemitum, & murmur, amant.
Eu. Sic gratum noſtris furtum cum fiat auribus,
Pax bellica inter chordas pugnantes agitur,
Concordant ſimul, ſimul & litigant ſoni.
Cal. Per Venerem Eucomiſſa, liberalis es; ſi daretur optio,
Vxorem a Diis ipſis non peterem aliam.
At cætera, ſponte facimus, amamus fato.
Eu. Gerundus igitur Fato, non Patri mos eſt.
Cal. Ne valeam, cum contemplar faciem, ſi quicquam ſupra eſt,
Tam lubrica frons eſt, oculorum ut effundat aciem.
Cincinni vinciendis animis nati tibi.
Modeſtus genarum color, & qualem aliæ
A verecundiâ mutuantur, genaſque æmulantur labia,

Abeamus, nam ſi te conſpexero diutius,
Periero, Venena mollea in medullas ſerpunt.
Vin' te Eucomiſſa mihi in Vxorem dari?
Cupio, per Deos cupio, Eucomiſſa, loquere.
Sed ne concedas, cupio, ne concedas tamen.
Niſi dura, & difficilis maneas, me interficis.
Nam conceptis ego verbis juſiurandum dedi,
Vxorem, niſi *Æglen* ——
Eu. *Æglen Calliphanes?*
Cal. Non, non, non, ah quid feci! aliam volui dicere.
Eu. Afficiam te hodiè *Calliphanes*, nuncio lætabili,
Si *Æglen* deperis, mutuum tecum facit.
Cal. Quid ais? ah noli in ſpem fluxam me conjicere.
Men' *Ægle?* *Eu.* Oculis plus, inquam, ſuis.
Cal. Deus ſum, ſi iſthoc verum eſt, O *Eucomiſſa*,
Cedo ſis manum mihi, ut ſupplex eam exoſculer,
Ne vivam, niſi ſemper te feci meritò maximam.
Eu. Accerſas *Æglen*, rem tibi Authorem dabo.
Conſilium unà capiemus, intereà temporis, Vale.
Cal. Nunc illud eſt, cum me ——
Eu. Piſh, ſuperſede iſtis verbis, abi.
Cal. Abeo —— ſed *Eucomiſſa* —— benè: abeo: *Exit.*

Scena Secunda.

Æmylio, Eucomiſſa.

Æm. Ædipol næ hæc machina ſucceſſit lepidè ſub manus.
Ita parata fecerunt omnia ad jocandi artem utilia.
Accommodavit illis *Dipon* aliquid pecuniæ præ manu

Vnde utantur, & nunc, credo, aperuerunt Scholam.

Eu. Ha!adest, amorem meum non est uti celem amplius:
Æmylio, adesdum, paucis te volo.

Æm. *Eucomissa*, salve.

Eu. *Æmylio*, hodiè nuptura sum.

Æm. Dii vortant bené.

Eu. Neque à Patre impetro, aliquot uti nuptiis prodat dies.
Estne hoc miserum?

Æm. Enimverò nihil prolixius.
Nam eo citius virginem exues.

Eu. Sed fac *Æmylio*,
Tibi me nupturam, rem tantam negligenter adeò faceres?
De improviso duceres?

Æm. Vtinam faceres periculum.
Equidem nullis rebus præavorterem.

Eu. Mecastor, pone ita esse.
Ego amo te, sed adversum nos offirmat Pater,
Quid enim ageres?

Æm. Quid? si esset centies pater,
Glaucomam ob oculos obiicerem, uti ne quod videt, videat.
Itaque primum rogo te, vin' hodiè mihi nubere?

Eu. Volo. (fidem.

Æm. Lepidè partes tuas agis: sed da mihi firmatam

Eu. Do testem Venerem.

Æm. Et Martem ego tibi
Me hodie te ducturum, dicta confirmemus suavio,
O festivum facinus! herclè verò jam nunc mihi seriò uxores.
Da suavium alterũ. *Eu.* Proh deorum fidem! os hominis!

Æm. Osculandi pausam faciam, si os non placet,
Sed aliquid noctu fiet, qua me propter ames meritó.

Eu. Quin aufer te, inquam, ocyús, nempe quod dixi joco
Ten' aliam in partem accipere decet, impudens?

Mecastor

Mecastor faxo ut ne impunè in me inluseris.
Vnde isthæc confidentia' st ? quæ opes tibi ? quæ factio ?
Servitutem servire te memineris captum manu.
Æm. At enim liber natus sum, ac forti familiâ.
Eu. Linguam comprime,
Aut dicam Patri ut me in tricas coniicis.
Æm. Iste herclè exitus rem lepidam pervortit malé.
Vale igitur, si vis, ad novam scholam me conferam,
Atque aliquos emam jocos in iracundam Virginem.
Eu. Quam ineptè stulta sum ! timeo, ut severa fuerim.
Quid si revocem ? *Æmylio* redi, quid præter morem ità
Præterque ingenium tuum ea mali consulis
Quæ jucundè dicta sunt ? credin' me locutam serió ?
Æm. Non, non, serio ? neque posse fœminam arbitror.
Eu. Cape sis hunc annulum tibi, indignum quo doneris dono.
Si memoriâ nos excidimus hic facito ut subveniat tibi.
Æm. Annulum ? maximé, sed jàmne locuta es serió ?
Eu. O *Æmylio*, si nosceres — & quidni noscas tamen?
Æm. Quidni ? quià non sum Oedipus; præter annulum nil intelligo.
Eu. Adeóne tardus es ? facis haud consuetudine.
Quin, vultum legas, legas & suspiria,
Hunc ipsum legas annulum ; sat loquor tacita.
Æm. Legam herclè lubentissimus —— oh —— Cum annulo ——
Quid est ? *Eucomissa*, hoc verbum non vult legi.
Oh—— efficiam ut velit — Cum annulo animus.
Eu. Ineptus es ; res alias si sic agis, Vale.
Quid dixi ? immó Vale, sed ne abeas tamen.
Æm. Hum ! sic est profectò : nam si memini benè
Concinnâ facie sum ; staturâ commodâ, & ætate integrâ.
Experiar quid sit : *Eucomissa*, advorte animum.

O *Eucomissa*, diu te amavi perdite. **Eu.** Ha !

Æm. Vsque adhuc ausus nihil, nisi oculos pascere.
Amoris tædio enecor, nunc itaque tuum
Perspicere animum, ut sese habeat velim,
In spe atque in timore attentus sum. *Eucomissa*, loquere.

Eu. Pudet confiteri ; ô, quid faciam misera ?
Mene ? simultatem non revereris Patris ?
Sed mitto Patrem ——

Æm. Missam hanc facito modestiam.
Vin' me Maritum tibi ? verbo expedias.

Eu. Maritum ? ha ! quid si id cupiam maximé ?
Cupiam ? non . nolo *Æmylio* : habes brevissimé.
Quid respondes ? *Æm.* Me esse infælicem ; Vale.

Eu. Non, non, manta sis modò ; Volo, inquam, Volo.
O *Æmylio*, tua sum, tuæ me commendo fidei.

Æm. Et ego *Eucomissa* tuus ; præ lætitiâ, ita me dij a-ment ;
Apud me non sum ; sed mittamus isthæc, adsunt arbitri.

Scena Tertia.

Calliphanes, Ægle, Eucomissa, Æmylio.

Cal. Beasti me ; hoc dicto reddidisti animum.
Nec hominum, nec deorum iram teruncii æstimo.
Eucomissa, —— *Æmylio*, —— Divorum vitam adepti sumus.

Æm. Quid soror ? tune *Calliphanem* amas ?

Æg. Meipsam minus.

Eu. Frustrà adhuc sumus ; quid Patri respondebimus ?

Cal. Ha ! Patri ? quantâ de lætitiâ quam subitò decidi ?
Nullamne facere possumus in nuptiis fallaciam
Æmylio ?

Æmylio ? Æm. Non minor mea hìc res agitur, quam tua,
Itaque admonere desine.
Eu. At siquid potes *Æmylio.*
Æm. An hodiè te uxorem commissurus est *Calliphani ?*
Eu. Ità.
Æm. Dic te velle. *Eu.* Ah *Æmylio*, tam subito animum
A nobis segregas ? *Æm.* Dii avortant omen.
Nemo te unquam nisi mors eripiet mihi.
Nunc quam rem agam accipe: hic nuptiis dictus est dies.
Veras esse credat Pater, at ne sint tamen.
Nam *Ægle* tuam vicem cum *Calliphane* noctu cubet.
Diurna ejus uxor sis ipsa in aliquod tempus.
Nam fortè in diebus paucis aliud se nobis offeret.
Amolimini hinc vos properé, si consilium placet.
Eu. Nullum vidi melius. *Cal.* Abeamus *Ægle.*
Exeunt.

Scena Quarta.

Gnomicus, Gelasimus, Morion, Academicus secundus.

Gn Ad cathedram, ad cathedram ocyús, nam adest pere-
Titubatque pede pes, densúsque Viro Vir. (grinus,
Aca. Tune es Magister Scholæ ?
Mor. Hei ! Magister ! nemo homo
Me quærit uspiam ; his vestibus nimium lateo.
Aca. Professor jocorum *Academicus* proximâ Hebdoma-
de jocaturu'st publicé.
Itaque huc me misit salutem ut vobis dicerem,
Opemque in hâc re expetissit, & consilium vestrum.
Ideóque hoc munus æqui bonique ut consulatis obsecrat.
Gel.

Gel. Pecuniam ab illo? Dii melius: meus frater est.

Ac. Eo accipias magis, nam fratres metuit suos.

Gno. Quanquam te Iocator Frater annum jam sales in hoc tempus colligentem, idque Academiâ, abundare oportet præceptis institutisque hujus artis pro, ter summum & Doctoris tui ingenium & Collegii, tamen ad hanc rem, nos (ut videmur) magnum tibi emolumentum afferemus, atque hoc veluti in transitu; sæpiusculè excurro Oratorié.

Gel. Præ re isthâc rem prævortam nullam,
Sed ecquos ipse fecit sales? *Aca.* Collegit aliquos;
Sed fecit ipse adhuc, quod sciam ego, paucissimos.
Fortè an duos tresve demi —— jocos.

Gel. *Morion* porrige schedulam,
Illam mihi jocorum Tripodalium; nam in Angliâ patria nostrâ;
Iocorum Professori Tripodis nomen ponimus. Hem tibi!

Aca. An isti concinnè, in Quæstionem ejus cadent?

Gel. Æquè herclè concinnè in Quæstionem ejus, atq; in ullam aliam.
Hoc habeat propè in exordii loco, dein Quæstio autèm
Sequatur è longinquo, evocabit suos ipse Terminos,
Atque si recusent ingredi, invitos trahat secum atque ingratiis,
Vti non rarò factum vidimus. Hæc itaque est salutatio
Auditorum omnium, ubi obiter deridendos præbet
Medicinæ, Legisque Professores, & Doctores omnes præcipué
Absque hoc nunquam quisquam plausum sibi repperit.
Sed (pænè oblitus fui dicere) nullâne hic Comædia
Agitur circiter hoc temporis. *Acad.* Immò verò hodié.

Gel. Ha, ha, hæ! vah Poëtam infortunatum nimis,
Nam quisquis is est, facetiis meis proximâ Hebdomade jugulabitur.

Accipe

Accipe sis hanc schedulam; scriptum hic inveniet,
Quod sufficiet largiter ad deridendum omnes posthac
Comædias.
Aca. Dii tibi dent quæ velis, benè valeas.
Gel. St! audin' etiam ?
Tribus verbis te volo; istam Fabulam Ludos faciet.
Fabula (intellextin' ?) Ludus dicitur, jam te dimitto,
Vale. *Exit. Aca.*

Scena Quinta.

Æmylio (alio ornatu) Psecas, Gnom. Gel. Mor.

Gel. Satin' ego oculis utilitatem obtineo, annon ?
Ædipol virgo fortis est, efficiam ut me depereat de ingenio.
Mor. Principio atque hanc video, manere non possum
diutiùs,
Ita lauta est; nimiò nimi' modestus sum his vestibus.
Æm. Iam para te *Psecas*; si pectus sapit, duras illis dabis.
Ps. Pish, aliud cura, magnificè tractabo isthunc Asinum;
O Venus ! hæccine est illa schola ? lepidus mecastor locus est.
Semper ego facetias amavi multum, & nutrix mihi
Dicere solita est: Abi, abi, ut vitalis sis metuo,
Ita præter ætatem tuam ingeniosa es nimium.
Et ego pol ridebam : rides? inquit illa, Dii boni!
Vt hujus nunquam non meminero!
Æm. Pish, perge ad rem.
Ps. Quam sæpe res nihili otiosè hæreat in memoriâ ?

O *Diana!* quam mihi tunc dierum pro cibo fuit jocarier ?
Sæpè ad focum domi obſedimus; ego narrare fabulas,
Feſtivè multa dicere, omnes in cachinnos ſolvere,
Nulla (licet ipſa dicam) primarum artium magi' princeps
extitit.
Sed ubi eſt Magiſter? videre vellem nimiò,
Nam communicabimus inter noſmet facetias invicem,
Opem meam (ſatis ſcio) non habebit deſpicatui.
Vbi eſt ?

Gn. Coram, quem quæritis, adſum
Trojus *Æneas*, neceſſe habeo novam de hâc re ſententiam
quærere.

Pſ. O Muſas ! ſtuduiſti arti Muſicæ : illud ex Virgilio
Accepiſti mutuum, immò ego poëtas legi.
Sic ſum, non tantum verbis dici poteſt
Quantum re ipſá verſus amo, & feci ſanè
Mediocres.

Gn. Mediocribus eſſe poëtis
Non homines, non Dii, non conceſſere Columnæ.

Gel. Oh! oh! oh! incantavit me aliquis: quod ego
Nunquam futurum credidi, nequeo unum concinnare a-
deo joculum.
Hum! ſiccin' ? Oh! tandem ad meipſum redeo.
O cujus genis roſæ invident, & pudore rubeſcunt ſolo,
Et tum - ——

Mor. Ha, ha, ha! pulcherrimè ! ſi ornatus eſſem ex meis
virtutibus
Sic adirem virginem; nam deperiret iſtam faciem.

Æm. Tun' ſolus hic regnum poſſides? ubi, ſi placet,
cæteri ?

Gn. St ! *Gelaſime.*

Gel. Maximè —— Pallet Luna, & ſe victam confitetur- -
Statim vobis adero——nec ſidera—— hum! iſthoc non
placet.

Cecide-

Ceciderunt plane sidera; Ceciderunt? ha, ha, ut nescienti mihi
Effluxit istic jocus? *Gno.* Hem, *Morion*, ubi es?
Mor. St! ego non adsum.
Æm. Ha, ha, ha, an se præsens præsentem negat?
Nisi jurato tibi, *Morion*, non credemus.
Mor. Per Deos non adsum,
Vt catè delusi homines! illi hic me esse nesciunt, ha, ha, ha!
Gn. An *Morion* atrâ bili percitu'st? id est, an delirat?
Cesson' illum educere ex insidiis, ut lepidè loquar?
Morion, adesto. *(Educit)*
Æm. Ha, ha! ut stat! reclamante Philosophiâ
Negarem hunc esse rationalem, nisi quià risibilem video.
Gn. Humanum est errare: erras profectò hospes,
Nam omnis homo est rationalis, ut acutissime observat Simplicius.
Ps. Nolite, obsecro, deridere, per pol quam modestus est!
Mor. Me laudat.
Gel. Euge! jam habeo.
Mor. Herclè audactèr alloquar.
Salve tu, O cujus genis rosæ invident, & pudore rubescunt solo.
Gel. O mastigiam! quæ mea est Oratio, occupat præloqui.
Vt perdidit mihi sex jocos, & tres amatorias sententias!
Gno. Perge *Morion*.
Mor. Perge tu, si vis, ego dixi satis.
Gno. Adesdum *Gelasime*. Hic est jocator ille, Cui meliore luto finxit præcordia Titan.
Ps. Mecastor liberalis est: salve multùm, te unum ex omnibus
Festivum fama magnificavit, itaque ad te huc venimus visere.

Nam me etiam lepidam vocant, etsi hanc mihi Laudem
non arrogem.

Gel. Syderi equidem cujus sub auspicio natu' sum, minorem gratiam habeo,
Quam oculorum tuorum syderibus, quæ me perspexerunt modó.
Ha, ha! optimè loquor semper de improviso,
Quod signum est boni ingenii, proculdubió hæc mea'st,
Obsecro, quænam est hæc virgo?

Æm. Factione summâ, & divitiis pollens.
Bombardomachidis filia'st strenuissimi ducis.

Gel. Nimiò nimi' novi ego istum *Bombardomachidem.*
(Hic illum derideo) sed tamen tantò meliu'st.

Æm. Ecquis homo tantum stultitiæ in se possedit uspiam.
Quid si oblectem me cum istis? placet, heus! auditin'?
Quoniam vosmet magnificatis ità de istis artibus.
Dabo equidem sponsionem, me vos unum singulos
Redacturum modò jocis meis ad silentium.
Agite sultis, experiamur in hanc partem quis plus possiet.

Ps. Vide quid agas priús. Ego ab hujus parte stabo.

Gel. A meâ: nescio unde hoc sit, multò sum beatior
Quam vulgus hominum, quæcunque vocem audiunt,
Continuò me amant perditè. O superi! gratias ago,
Multum de me meruistis; Heus, audacule,
Quoniam ità vis vitâ interfici, ascende hanc sellulam:
Opponam ego primus; sed miseret me tui.

Mor. Benè herclè facis; ego obsecundabo tibi in loco,
Abi, audacule, abi in Tullianum.

Æm. Esto tu Moderator.

Gno Agonotheta ero, ἀπὸ τῦ ἀγὼν & τίθημι, nam sic docti vocant. Tu oppones *Morion*
Secundo in loco.

Mor. Rectè, recedam paululum

Et confutationem Orationis ejus meditabor mecum.

Gn. Antequam illam nosti?

Mor. Nosti? nemo non potest
Confutare tum cum noverit, ero singularis ego.

Ps. Discrucior animi, quod mos non patitur,
Disputare fæminas publicè: vellem hos Opponentes mihi.

Gn. Ascendat Iocator.

Proditum est memoriæ antiquos Philosophos post multos labores sese recreare solitos fuisse. Agite igitur, hilarem hunc sumamus diem, nam arcus nimium intentus citò frangitur; habent sua Ludicra Musæ; & Apollo Musarum Parens, aliquandò latet, aliquando patet. Tu vero Spartam quam nactus es, hanc orna, ut non minus, aut etiam plus modestia tua, quam ingenium appareat. Cave à Majoribus, nam ingenium non ferent, & observa semper cum Poëtâ, Parcere personis, dicere de vitiis.

Æm. Orationem tuam ——

Gn. Nolo pati istam impudentiam, conferas te ad provinciam tuam.

Æm. Sapienter quidem facis, quod Orationem tuam non vis repeti.

Gn. Authoritate mihi ab Apolline commissâ, jubeo te acquiescere.

Ps. Ha, ha, hæ! utinam ista mihi authoritas committeretur ab Apolline.

Æm. Non datur ars jocandi——Incipiam à Postremo Termino Iocandi, qui est Terminus Hillarii. Artem omitto, quia mos est ita facere.

Datur est verbum; nam nunc dierum Res talis non est, quædam dicuntur dari propriè & simpliciter, sed hic sensus verbi jam antiquatus est: alij verò improprie & secundum quid, ut Gradus in Academiâ, & in Collegiis ——

Gn. Omitte illud verbum; scimus quid velis.

Æm. Sed, ne erretis in hâc re, dicam vobis, quid dandum sit,

ſit,quid non,primum omnium dabitis mihi—— ſi placeo ——Manus veſtras—— ſin minus—— Veniam. Dabitis Aulico nova juramenta, nam fregit omnia vetera. Ad cælum enim ire ne cogitat quidem,quià audit paucos illic eſſe tonſores & ſutores veſtiarios: itàque nunquam oravit in totâ vitâ,tantum aliquandò dixit Deo, ſe ejus ſervum eſſe ter humillimum Et tamen odit Diabolum,quia Cornutus eſt,eóque ſimilior illius Creditorum Civium. Secundò Dabitis Puritanis verba; jam enim illis ſilentium indicitur,ſiquandò autem privatim prædicent, dabitis aures veſtras; nam ſuas amiſerunt. Dabitis Academiis——

Gn. Nolo iſtud dici ; ne quos ridere hic oportuit,
Erubeſcant aliqui: ſatisfeciſti officio tuo.
Reſpondere tibi vellem,ſed neminem in loco meo
Extrà unum novi,qui reſpondit nugis hujuſce modi.
Aſcendat Opponens primus; Diſputationem in alium
Differamus diem,nunc jam reſpondeas tantum breviter.
Age; Spartam,quam nactus es,hanc orna.

Gel. Faciam,ſed numera jocos meos,dum reſpondeam.

Gn. Pauperis eſt numerare pecus.Numera hoc *Gelaſime*,
Obſecro, Auditores, ut in advorſam partem ne rapiatis,
Quod in hoc dignitatis gradu præter morem aliquandò jocor.

Æm. ſi in eam partem peccas, facilè te profectò condonabimus.
Sed mihi crede,Doctiſſime Moderator,adhùc ab hâc culpâ liber es.

Gn. Doctiſſimum me vocat; non interficiam illum hodié.

Gel. Quoniam dandi regulas nobis dediſti. Ibi unus *Gnomice*.
Eſt magnus jocus.

Æm. Tam magnus herclè ut videri nequeat.

Gel. Piſh ! annon ludo in reduplicatione τȣ̃ Dare?

Gn. Est certè dimidia pars joci.
Æm. Oh ! ille, fortassè credidit,
Dimidium plus toto esse.
Gel. Dii, Deæque, Superi, Inferi,
Pessimis me exemplis perduint, nisi dicturus id eram.
Numera *Gnomice* pro meo, Eripuit eum ex animo meo.
Æm. Rectam herclè instas viam, ingeniosus ut fias,
Si furaris, ego quæ dico. *Ps.* Summi est ingeni.
Sic facere, nam tuo jam te jugulat gladio.
Ibi ego etiam: pudet sanè ne mutam stare
Inter tot jocantes. *Gel.* Sed repetamur à diverticulo:
Dicam ergò tibi, quid dedit mihi rex *Macedonicus* —
Æm. Quin pergis? *Gel.* Quià jàm te oportet dicere,
Quid dedit tibi? pecuniam? *Æm* Quid si nolim dicere?
Tun' me coges?
Gel. Non, sed nisi detur Ansa, quis potest jocarier?
Æm. Benè, si me oras, dicam, ne omnino coram hâc fœminâ nobili
Ignominiosè taceas. *Gel.* Et ego sic respondeo:
Pecuniam? non, non, non. Tergum vel pœnas dedit.
Ibi duo joci *Gnomice*. Sed obiter hoc —
Dixisti Artem jocandi non dari. Falsum! nam ars jocandi est
Res ingeniosa, sed res ingeniosa datur; nam
Crede mihi res est ingeniosa Dare.
Æm. Carus est hìc jocus, nam tribus ab hinc petitur milliaribus.
Concionatorem nunquam audivi, textum cum perdiderit,
(Vt sæpè fit) per tot circulos illum quærere.
Walli in hunc planè modum ad suam scandunt originem.
Ap Ars jocandi, Ap datur, Ap Res, Ap ingenium, Ap
Crede mihi res est ingeniosa dare.
Gel. Onerabas deinde maledictis Aulicos; sed nimium rusticè;

Iterùm *Gnomice*; ob rusticitatem illum derideo,
Est & elegans quædam antithesis inter Aulicos & rusticé.
Quæ addidisti de Puritanis, intacta prætereo,
Quoniam imitatus es illa quæ hodiè mane dixerim,
Cum illos in Novam Angliam ire jussi, cætera
Ex memoriâ aufugerunt.

Ps. Nequeo quin plaudam manibus.
Atque ita omnes vellem, cum audiant quod placet, facere.

Gn. Satisfecisti officio tuo: ascendat *Morion*.

Mor. Ità facio; quæso ut jocos meos numeres *Gnomice*.

Æm. Hei! cum istis vestibus disputaturus venis?
Carent Modo, & Figurâ. Nulla est Consequentia
Inter earum partes. *Mor.* An vestes meæ tibi nocent?

Æm Ità sané me terrebant modò, cum hic ascenderas.

Mor. Ha, ha, hæ! ut me vidit, hominem terrui; novit qui sim.
Quid cum me audierit? Attendite, nunc incipio.
In principio orationis tuæ habuisti aliquid de meis laudibus, sed
Ego ingenué fateor, me non meruisse tantum de meis laudibus.

Æm. Egon' de tuis laudibus?
Meritò pol me confutare possis, si habuissem tale quid.

Mor. Pish! ego hoc suppono — itaq; nunc pergo, numera *Gnomice*.
Dixisti porrò aliquid de mari Philosophico.

Æm. Quid? de mari Philosophico?
At illud ego adhuc ne primoribus quidem labiis attigi.
Sed si animum induxisti deridere Mare Philosophicum.
Indulgebo tibi hanc veniam.

Mor. Non? tum hæc tua culpa'st *Gelasime*.
Annon dicebas, quod nunquam quisquam omittet Mare Philosophicum?

Om. Ha, ha, hæ!

Mor. Ecquid me rident? *Gn.* Perge *Morion*.

Mor. Pergat qui vult, si ridetis: ego satisfeci officio meo.

Cætera ex memoriâ dilapsa sunt: Et sic desino. (*descendit.*

Gn. Vos itaque cum meritis omnes dimitto laudibus,
Et Vitulâ tu dignus & hic. Arcades ambo
Et cantare pares, & respondere parati.

Ps. Deus bone! quam pulchrè vos omnes processistis hodié,
Ego vobiscum ipsa disputabo vice proximâ.
Doctissime Moderator vale, dii tibi dent quæ expetis.

Gno. Et longum formosa vale, vale inquit Iola.

Ps. Tu *Gelasime*, sequere me sis domum, nam de re isthac est tibi
Quod sola soli dicam.

Gel. Beatus sum! libenter sequor.
Quantum diis magnis debeo, quod me tam lepidum fecerint!

Ps. *Æmylio*, i præ, pish, omitte istas ceremonias.

Mor. Ego illos comitabor, satis sum jocatus hodié.

Gn. At ego intùs me recipiam, bené hodié fecimus.

Exeunt.

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite Capillæ. *Exit.*



ACTVS QVINTVS.

Scena Prima.

Æmylio, Dinon.

Æm. Pro certon' habes advenisse *Polyporum*?

Din. Siquidem quod vidi certum'st.

Nisi

Nisi fallant oculi.

Æm. Mirum est ni fallant aliquandò, si sint tui,
Nam tu totus, quantus quantus, nihil nisi astutia es.
Sed, ut placet, ubi vidisti? ecquid idoneus visus't,
Ex quo argentum cudimus? ha! numquid est tractabilis?
Vtinam accepisset literas.

Din. Accepit jam in portu.
Et largus lacrymatum huc properat.

Æm. Quî istud nosti?

Din. Vt vidi, suspenso gradu ibam, adstabam, comprimebam animam,
Atque ubi cepi animum attendere, sermonem hoc captavi modo.
Proin tu *Bombardomachidem* induas, ut accipiamus hominem,
Hic esto; cum rogitabit, ubi habet *Bombardomachides*?
Huc per posticum introducam illum tibi.

Æm. At militi claves reddidi.

Din. Pish! sexcentæ sunt causæ quamobrem illas possis repetere.
Abi modo: sed enim captivis quid faciemus? absunt perincommodé.

Æm. Oh! dicam *Polyporo* tempus nunc non esse, ut illos videat,
Et jubebo cras redeat? Satin' polita sunt hæc consilia?
O fors fortuna quam secundis rebus hanc mihi onerasti diem!
Abeamus mi charissime *Dinon.*

Din. O, mi suavissime *Æmylio* abeamus. *Exeunt.*

Scena Secunda.

Gelasimus, Psecas, Morion.

Ps. Viden' ergò quam posthabui omnes res ingenio tuo?
Nam me in uxorem multi expetiverunt Principes,
Quos demisi, quià indocti erant, doloris compotes.

Gel. Dii me faciant quod volunt, nisi minu' gaudeam
De pollentiâ tuâ (nam & ipse in meâ patriâ
Sat dives & factiosus sum) quam quod hæ nuptiæ
Magno futuræ sint totius orbis commodo.
Namque ex te nostro quisquis suscipitur semine
Suis se dictis immortali afficiet gloria,
Fietque Imperator jocorum optimus maximus.

Ps. Cupio equidem Poëtam parere.

Gel. Meâ fide paries.
Nam vagiebam ego metricé, & in lactis loco
Heliconis aquam suxi, tum autem in Parnasso bicipiti
Sæpiculè somniavi, sed, ut verum fatear,
Nulla mihi carmina tam facili Minervâ fluunt,
Quam Epigrammata, aut satyri, nam festivissimè
(Vt nosti) deridere homines soleo.

Ps. O Musas omnes!
Quam undiquaq; sententiis tuis intermisces facetias!

Gel. Ha, ha, hæ, animadvertistin'? at peperci ego dicere,
De illis, ut experirer, utrum tute per te eas intelligeres.

Ps. Ah! nunquam Patris in me inimicitias caperem
Tui causâ, nisi intelligerem probè ingenium tuum.

Mor. Colloquuntur familiaritèr, metuo ne præripiat mihi
Illius animum, namque amo illam plus vino & saccaro.
Et nisi me amet mutuò, abeat sanè in locum

In carcere quod Tullianum appellatur.

Gel. Abeamus, mea Sappho,
Vt à sacerdote aliquo celebretur nobis matrimonium,
Morion, abi tu domum.

Mor. Ne me contemptim conteras;
Tam ego disputabam hodiè, quam tu. publicitús.
Et confutavi hominem. *Ps.* Exemplis pessimis
Ludificator istum fruticem nisi hinc properè avolet.
Oh superas! occidi, mortua sum! Pater hùc venit, nos
quæritans,
Et stricto gladio necem hìc minatur omnibus.

Mor. Oh, oh, non possum aspicere *Bombardomachidem*,
Nimiò nimis ferox est, jocari mecum noluit modó.

Gel. Tam mortui herclé sumus, quá mare est mortuum,
Ibi iterùm, velim, nolim, non reprimo me, quin jocer.
Nullumne hìc latibulum est?

Mor. Oh! quæso ostendas aliquod,
In ipso foramine Acus nunc jam jacere poteram,
Ecquem hìc habes caseum? nam muris instar optimé
In illo delitescerem.

Gel. Non, non, falsus es *Morion*,
Nam tunc excederes latebras tuas. Vt illum derideo
Hoc tanto in periculo!

Ps. Hei mihi! est intus dolium———
Vt contollit gradum! ut oculi virent iracundiâ!——
Illic si vis temet occultare.

Mor. Dolium? cedò sis, bona fæmina:
Nunquam me pudebit à Diogene exemplum sumere.
Vtinam esset plenum, evacuarem mihi quam citissimé.

Ps. Sequere me, tibi mox prospiciam *Gelasime*.
(*Exeunt Psecas, Morion*)

Mor. Ità, cum ego in tuto sim; dolium? magnifica pol
domus est.

Gel. Oh! oh! audire visu' sum strepitum militis,

Tergum

Tergum vel pænas illi dabo; ut mihi Rex Macedonicus.
Oh! jam venit, ſcio; jacebo hìc, quaſi eſſem mortuus;
Nolo ſaltē cernere fatum meū.(*recumbit*)(*Pſecas intrat*)
Pſ. Ha, ha, he! *Gel.* Oh! adeſt!
Pſ. *Gelaſime*, ſurge, ne metuas malum.
Gel. Profectò, *Bombardomachides*, non duxi tuam filiam,
Neque unquam volui. *Pſ.* Quid?
Gel. Non: quæſo ne me jugules,
Memineris, obſecro, jocorum Militarium, quos feci tibi,
Quin effeci inſuper, Iambi ut incedant pede.
Pſ. O Venus! ludos lepidos. Adſpice ad me *Gelaſime*, Pater non adeſt.
Gel. O mea Sappho! ubi eſt pater tuus? obſecro an venit?
Pſ. Neque venturus eſt, ex compoſito hoc feci adeo,
Vt nobis ſine Morione arbitro fierent nuptiæ.
Gel. Ha! ſcio hoc equidem, & ego etiam per induſtriam (*ſurgit*)
Diſſimulavit quaſi eſſem timidus—ſed, numnam in vado ſumus? —
Annon diſſimulabam lepide?—certè aliquid audio—
Non venit ſpero. *Pſ.* Ne time; ſed feſtinato opu'ſt,
Ne tandèm fortaſſe seriò nos pater opprimat.
Gel. Vera dicis; properemus mea Muſa, mea Vrania,
Vt te amo mea Polyhimne, mea Melpomene! *Exeunt.*

Scena Tertia.

Æmylio (ornatu militis) Dinon, Polyporus.

Æm. Intromittatur ſino; fac pateat janua;
Poly. Tun' ille es Miles, arte tam inſignis duellicâ?
Æm. Periphraſin veram nominis dicis mei.
Pol. Si is es, filium manu cepiſti meum.
Æm. Si filium cepi tuum, captivo Pater es meo.

Pol.

Pol. Huc itâque eâ gratiâ huc veni tibi,
Illorum uti pro capitibus pecuniam duim,
Oro igitur me absolvas, quamprimùm poteris,
Nec mora in te sit sita, quin pretium auferas,
Cupio videre ipsos; & complecti miseros,
Tam Pater capto sum, quam dudum fui libero.

Æm. Nunc aliqui me expectant reges; cras redeas licet.

Pol. Cras illud, Patri filium quærenti annus est.

Bom. Oculisne claves obviam fiunt tuis? *(intus)*

Cal P. Nisi jam reperiant, effringantur foribus cardines, *(intus)*
Ne mora Exorcistæ objecta sit, cum hûc advenerit.

Bom. Edico jam nunc foribus bellum meis,
Posthæc ut istum timeant, efficiam, pedem.
(Bombardom. frangit fores)

Æm. Occicissim' sumus Dinon; Heus! quis est ad fores?

Scena Quarta.

Bombardomachides, Calliphanes, P. Æmylio, Dinon, Polyporus, servi Bombard.

Bom. Oh! spectra cerno? ludit an oculos meos
Imago fallax? non possum pergere lambicé,
Ita validè timeo.

Cal. P. Ha! quid est? quid tremis adeó?

Bom. Me frigus, haud formido, ut tremam facit.

Æm. Dinon, in te spes omnis vertitur, sis Dæmon iterū,
Repræsentari salus nostra non aliter potest.

Din. Ne desponde animum, pulchrè homines vorsabimus.

Cal. P.

Cal. P. Nihil adhuc video—hum-- Leopardus rediit,
Ipsus est Leopardus, quem conspexi priús.

Din. Oh, ho, o, ho, urite, fundite, tundite, cædite, vertite, domum, ho, ho, fundite, tundite domum.

Pol. Quænam hæc deliramenta? suntne atrâ bile perciti?

Din. Πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον.

Æm. Φρικαλὰ δρακοντικόμων ἐδαΐζετο φῦλα γιγάντων.

Pol. Quicquid sit, aut hi homines insaniunt valicè,
Aut aliquid monstri subest, quâ fugere insistam viâ?

Bom. Oh! quæso bone Dæmon ne accedas adeó, oh!

Polyp. Men' times vero? tam homo sum quam tu.
Bombardomachidem hìc quæro.

Bom. Men' quæris? obsecro;
Recedas, tecum nihil negotî est mihi. Oh! quæso.

Din. Πολλὰ δ' ἄναντα κάταντα.

Æm. πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον.

Cal. P. Oh! metuo malè ne me persequantur Dæmones,
Quià ad nuptias injustitiâ meâ coëgi filium.

Bom. Mallem in mediâ acie, quam hic me stare loci.
Vtinam —— (quid faciam?) utinam essem jam nunc mortuus,
Sed mori non possum.

Pol. Proculdubiò istud somnium est.
Ità res hæc me dubium dat, ut quis sim, aut ubì, nesciam.

Bom. Claudam herclè oculos, videre non sustineo.

Din. Occidam, jugulabo, interficiam, capiam, rapiam, fundam, tundam omnes illicò.

Bom. Immò non timeo, video profectò nihil.

Cal. P. Nihil? cæcus es ***Bombardomachides?*** accipe sis specularia.

Æm. Πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Bom. Oh! *(Bombard. manus extendens fortè tiaram Æmylionis deiicit)*

Æm. O *Dinon* acta res est: emergi hinc non potest!

Bom. Servusne noster? facinus indignum & grave!
Iupiter, omni parte violentum intona.
Iaculare flammas, lumen ereptum polo
Fulminibus exple—— jam possum iterum Iambicè.

Cal. P. Proh Deos! siccin' te servus pro delectamento vsu'st?
Arripiant aliqui sublimem, & extinguant illi animam.
Tun' (*scelus*) pro arbitrio nos terres senes?

Bom. Terrere me non potuit, timui nihil.

Cal P. Non sum compos animi, ita incendor iracundiâ.
Itane istud patere *Bombardomachides*? occide eos.

Bom. De fine penæ loqueris, ego pænam volo.
Ardeo furore: tam diu cur innocens
Hos versor inter? tota jam ante oculos meos
Imago cædis errat.

Din. O! dii te perdant *Æmylio*.

Æm. Quin, quod ferundum est feramus æquo animo,
Video non licere quicquam jam pertendere.

Pol. Frustrationes ego istas mirari satis nequeo.
Heus, estne miles Hic, *Bombardomachides*?

Bom. Men' ergò nescis? Ipse *Bombardomachides* sum (in versu sequenti)

Pol. Paratus es meum mihi jam filium reddere?

Bom. Quem habeo filium reddam, sed nullum habeo.

Pol. Quæ te mala crux agitat autem? hem Litteras tuas
Quas in portu accepi modò.

Bom. Ha! Dux *Bombardomachides*?
Æmylio scripsit istud: O ingens scelus!
Incertus, atrox, mente non sanâ feror
Partes in omnes; unde me ulcisci queam?

(*Verberat Dinonem & ejus barbam arripit.*)

Din. Oh! obsecro te.

Pol. O

Pol. O Dii boni! quid ego video? Dinonem servum?
Hem! *Dinon!* quid hic agis? ubi filius meu'st?

Din. *Æmylio*, quid faciam in his angustiis? confitebor omnia.

Æm. Suspende te, si vis: Diis iratis natu' sum.

Cal. P. Hi homines ingentem aliquam adornarunt fabricam.
Articulatim te concîdit hìc servus tuus
Quantum adhùc video: faxo confiteantur omnia,
Heus Lorarii! quis intus est? Lorarii inquam!

Pol. Immò depositâ veste se verberibus impleant invicē
Donec omnia exquisivimus, ut lubitum'st nobis.

Bom. Locutus es, non malè, fiet modó.
Adeste servi, Dominus hoc vester jubet. *(Ingred. Lorarii)*

Æm. Strenuum me præbebo hominem, scapularū mihī
Sat magna confidentia est. *Dinon*, bono animo es.

Din. Quin Stoicus, inquam sum, dolorē nunquam sentio.
Moriemur, sat scio; si præter spem quid evenit
In lucro deputabo esse. ***Bom.*** Audin' serve?
Flagella fac sint nobis in promptu duo.
(Exit servus, & redit cum flagellis.)

Cal. P. Intereà quod est temporis, tu deme illis diploides.
Ha! statuæ verbereæ, nos vetulos habetis ludibrio?
(ponunt diploid.)

Æm. Aliud cura, Carnufex; non possum ego hoc exuere! *(ad lorarium)*
Vapulare herclè nolo in generosis meis vestibus,
Scio ego, quid sit vapulare.

Din. O miram rem! scientia talis, dicenda est sola liberalis. Satin' *Æmylio* fortiter?

Bom. Ridetis? at mox flumen ex oculis cadet.

Cal. P. Hem! da flagella illis in manus ocyús.
Nisi pænas de se strenuè sumant invicém.
Quasi incudem cædas illos; ac pugnis oneres,

Din. Video necesse esse, ut exerceamus nosmet.
Age, incipiamus mea Commoditas.

Æm. Mea opportunitas incipiamus.

Din. Tu nebulo major es, tibi herclè locum cedò.

Cal. P. Ludunt herclè; heus Lorarii, facite ut pugni in malis hæreunt.

Ad mortem vos ambos darem, si essetis mei.

Æm. Quin abi in malam rem; nil opera opus tuâ est, (*ad lorarium*)

Annon *Dinon* satis idoneus visu'st, qui me verberet?

Din. Hem tibi, mi Alter idem!

Æm. Meus bonus Genius! (*Se vicibus flagellant*)

Din. Meus Pilades! *Æm.* Orestes meus!

Bom. Hæc verberandi mihi sat methodus placet.

Tam similis est bello. *Cal. P.* Fecistis probè.

Cessite paululum, exquire nunc jam, quidvis.

Pol. Quid filio factum est meo, cum Tutore ejus & *Gelasimo?*

Din. Emunximus illos mucidos; & argentum effecimus.

Æm. Et vestes, viden' ornatum Morionis tui?

Me multò decent magis. *Pol.* O frontes hominum!

Din. Dicam omnia; animum advortite, nam fabula lepidissima'st,

Primum omnium, appoti probè ut obdormirent, fecimus.

Æm. Dein vestes Morionis pannis commutavi meis.

Din. Dein, quasi captivos, in vinclis hìc habuimus.

Æm. Dein Scripsimus Epistolam, te ut vorsaremus insuper.

Din. Dein spectris fictis *Bombardomachidem* perterrefecimus.

Bom. Egone vana ut spectra timerem scelus!

Adesse vel jam Dæmonum turbam velim.

Pol. O impudentiam! O mores! quid ego de vobis tum merui?

Æm. Ha, ha! homo suavis! nos ut parceremus tibi?

Cum bardum genuisti, sapientium id fecisti gratiâ.

Stultus est Commune Bonum.

Cal. P. Obstupesco! ita hæc res mira'st.

Din. Immò nihil jam celabo, nolo, *Æmylios*

Ex istis technis tibi melius sit, quam mihi.

Eucomissa —— *Æm. Dinon!* ô ſceleſtum caput! (*flagellat*)

Bom. Muttiren' audes? piſce ſis mutus magis.

Din. Æmylioni nupſit hodié, & Dii vortant fæliciter.

Bom. Quid tangit aurem? ferte me inſanæ procul,
Illò procellæ ferte, quo fertur dies
Hinc raptus, ô, quis filiam oſtendet mihi?
Longinqua, clauſa, abſtruſa, diverſa, invia
Emetiemur, nullus obſtabit locus. (*Exit Bombard*)

Æm. Nunc demum perii ſolidé, hoc durum in corde eſt mihi,
Quod mei gratiâ, *Eucomiſſæ* pejus erit,
Præterquam, quod carendum eſt illâ, nil adhùc doleo.

Cal. P. Si eſſet mea, omnem de illâ animum
Eiicerem Patris, & alienarem miſeram à familiâ.
Si filius meus ad hunc modum —— ſed nonvult, aut ſi cuperet maximé,
Captare conſilii nil poſſet, quin olfacerem prius.

Din. Immò Ille proculdubiò his noxiis vacuus'ſt.
Nihil in ſe culpæ unquam commiſit, Tantum,
Præter imperium tuum, & præterquam juſſiſti ſeduló,
Æglen hodiè duxit. *Cal. P. Æglen?* non poteſt fieri.
Non, non, non audet: quicquid ſit, videbo tamen.
Si verum eſt, ſtatim cum uxore quatietur forás. *Exit.*

Æm. Quicunque ſis, peregrine, nolo precator mihi
Orare ut ſies, nam adverſus iſt hæc obfirmavi mala,
Sed ut pacem *Eucomiſſæ* conciliares ab ejus Patre
Id oro, atque obſecro: age, etſi parum de te meruerim,
Popularis tuus ſum. *Pol.* Meus?

Æm. Siquidem es Anglus patriâ.

Pol. Quî iſtud factum eſt, hic ut ſervitutem ſervias?

Æm. Fortunæ ædipol vitio, nam prognatus patre
Mercatore ſum ditiſſimo, ſed ſic fors tulit
Cum ſorore ſimul parvulâ hic ut me caperet parvulum.

Pol. Hei mihi!

Æm. Quid lacrymas obſecro? iſtud me decet magis.

Pol. Quià miſerias mihi meas hoc dicto in memoriam redigis.

Nam filiolam ego etiam cum fratre unà perdidi.
Vbi capti estis?
Æm. In navi, cum in Hispaniam transmisit Pater
Mercaturæ operam dans, ac rei studens.
Pol. Quodnam erat navi signum?
Æm. Castor & Pollux.
Pol. Dii boni, quo magis quæro, eò plus plusque con- (venit.
Si est, ut hæc mihi res indicium facit,
Omnium, qui sunt in terrâ, sum beatissimus.
Quot annis abhinc?
Æm. Mense proximo erunt octodecem.
Pol. Dii memet ex re perditâ servatum volunt.
Si isthæc vera sunt, non dubito quin sis meus.
Cæterum adest Miles, ille me certiorem faciet.

Scena Quinta.

Bombardom. Cal. P. Cal. F. Encomissa, Ægle.

Cal. P. Quin exi, flagitium hominis, cum uxore triveneficâ,
Faxo, si vita mihi superet, istius obsaturabere.
Æg. Obsecro prolixe senex, uti quod te habet malé,
In me totum evomas, cum illo modò in gratiam redeas.
Mea omnis culpa est; Ille abs te innoxius,
Per Deos mea est.
Cal. F. Non, non, cave illi credas Pater,
Tuam in me iram derivari multò æqui u'st.
Blanditiis istam meis conieci invitam in nuptias.
Pol. Accommoda mihi miles paululum aures tuas,
Nisi sit molestum.
Bom. Vruntur irâ fibræ, & exardet jecur,
Vruntur inquam, loquere at quidvis tamen.
En. O Æmylio! hunccé in modum celebrantur nuptiæ?

Vereor

Vereor ne eodem fiam vidua quo die nupta sum.

Æm. Habe modo bonum animum, mea Vita, tibi nil
Meamq; ne doleas vicem, nam Deos testor, (faciet mali.
Si unà hâc nocte cubuissem in complexu tuo,
Cras illud esset, cum me vellem interfici,
Ne ulla unquam ægritudo contaminaret illud gaudium.
Sed meliore in loco, diis gratias, spes sita est mea.

Pol. Immò omnem mihi rem explicatam dedisti pul-
Insperate File, salve, (chre.
Cum hic te conspicor; quam superat mihi
Atq; abundat lætitiâ pectus! ubi soror tua est?

Æm. Eccam ipsam, mi pater charissime! amænitates
Hic mihi dies obtulit! *Pol.* Iam, virgo mea es. (quantas
Ha, ha! filium & filiam? ha, ha! lacrymo gaudio.
Et tam liberaliter educatos! quis me fælicior?
Age Miles, face te lubentem filiæ nuptiis.

Bom. Nil jam negabo, cuncta concedo, senex,
Quoniámque natam duxit, ut ducat volo.

Æm. Audin' *Eucomissa*? iterum mihi natus videor.

Eu. Et ego iterum nupta; ó mi *Æmylio.*

Cal.p. Quam suo mihi hic sermone arrexit aures!
Fili, quoniam istam virginem tam miserè deperis,
Difficultas a me non erit, quin pro uxore habeas.

Cal.f. Reverà mihi pater es, & diis ipsis proximus.

Din. Tot inter gaudia, ut video, vapulandum est mihi.
Æmylio, volo te de communi re appellare mea, & tuâ.
Meministin' quo ornatu te primum invenerim
Meâ profectò operâ hæc omnia evenerunt tibi.

Æm. Fæneratò hanc mihi operam locasti, *Dinon*,
Nam mecum semper vives, suppeditabo ego tibi sumptibus.

Din. O mea Commoditas! meus bonus Genius!

Æm. Meruisti herculé; (strenue!
Nam vel modo, mea opportunitas, quam me verberasti

Din. Meruisti herculé. Ego vel iterum, mi *Æmylio*,
Voluptatis tuæ causâ, defessus verberando fierem.

Æm. Sed obsecro, mi Pater, an *Morion*, meus frater est?

Pol. Nihil minus; nam cum vosmet infortunatus perdidi;
Ne prorsus viderer ortus, recens natum servi mei puerum.
Pro meo sustuli; is hic est, quem vidistis, *Morion.*

Scena Sexta.

Gelasime, Psecas.

Sed quem ego video? *Gelasimum*, amicum *Morionis* mei?
Gelasime salve. *Gel.* O *Polypo* e salve: nescis quam beatus
Vbi est *Bombardomachides*? *Ps.* Illic; non vides? (ego sum!
Gel. Hic non est ille *Bombardomachides*, ad quem me insinuavi callidé.
Ps. Pish, credin' me ignorare patrem meum, quis siet?
Gel. Non, non; filius tuus *Gelasimus*, hic flexo poplite
Vt sibi benedicas, obsecrat, atque ut nuptiis suis.
Bom. Ex ore quid venit tuo? Tun' filius meus?
Gel. Fortassis hoc me credis per jocum dicere,
Quià jocarì semper soleo; sed profectò loquor serió.
Detrahe velum, mea Musa: hem! nostin' filiam tuam?
Om. Ha, ha, hæ. *Ps.* Immò ne admiremini.
Ego nupsi isti Asino, sed præceptis meis,
Efficiam brevi, ut moratus sit sat bené.
Eucomissa salve, jam sum ejusdem tecum ordinis,
Colloquemur inter nosmet amicè, & capiemus consilium,
Quid maritis faciundum sit, servire si nolint nobis.
Gel. Tun' negas filiam tuam hanc esse? *Om.* Ha, ha, hæ.
Gel. Quid (malum) rideris? nullum hic dixi jocum.
Æm. *Gelasime*, da hoc etiam pugillaribus tuis.
Os mihi callidé sublitum est quarto Non. Feb.
Gel. Nolo sic me rideant; immò, quæ sit, satis novi.
Egon' ut filiam tuam in uxorem acciperem?
Vah! ista ingeniosa est, hoc sufficit mihi.

Facetissi-

Facetiſſimè à me amovi iſtud dedecus.

Mor. Oh ! non poſſum recipere animam : quæſo bona fæmina. *(intus)*

Æm. Ha ! quid hoc ? *Pſ.* Inter tot nuptias
Ne deſit vinum, donabo vos pleno dolio. *Exit*

Cal. p. Fruſtrationes ego tantas, & tam miras res,
Nullâ me vidiſſe unquam in Comædiâ memini.
Ha ! quid fit tandem ?

Scena Septima.

Pſecas, Morion in dolio.

Pſ Hem vobis vinum meum !

Mor. Non, non, ego non ſum vinum. *(in dol.) Exit.*
Ha ! quoſnam hic video ? ego iterum intus me recipiam. *(ingred. interum)*

Gel. Exi, exi inquã, *Diogenes*, ô *Morion*, ut ego te derideo !

Mor. Videon' ego patrẽ meum ? ô, pater, tun' hic aderas ?
Ego ingenioſus factus ſum in his regionibus.
Iocari homines doceo. *Pol.* Poſthàc ne me patrem voci-(tes :
Nam ſervus meus es, quem adhuc pro filio ſuſtuli.

Mor. O ! tu me non noſti fortaſſis in his veſtibus.
Ego ſum profectò *Morion* : roga *Gelaſimum*.
Nos hic Captivi ſumus. *Pol.* Non, non, jam eſtis liberi.
Sed meus, per Deos, non es, ſed ad patrem tuum,
Adducam iterum, cum in Angliam tranſmiſimus.

Scena Octava.

Gnomicus.

Gel. O Tutor ! mira hic profectò evenerunt hodié,
Omnia intus ſcies, tu verò Tutor, & *Morion*,

Mundum

Naufragium Ioculare.

Mundum omnem jocularem colligite, nam in Angliam
mecum redibitis,
Atque illic Cantabrigiæ istam aperiemus Scholam.
Emptores jocorum ibi habitant quamplurimi.
Mor. Rectè; tum pater si nolis esse, ne sis amplius mihi.
Tutor, ego non sum filius *Polypori* natu Maximus.
Gn Enimverò, ut ait Comicus, Dii nos homines quasi
pilas habent.
Cal.p Intereà ad me omnes introite ad prandium,
Frugalitèr vos accipiam. *Gn.* Consilium placet.
Siqui nunc harum rerum Spectatores adsient
Cum Poëtâ illis dicerem. Valete, & plaudite.
Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt,
Rumpatur, quisquis rumpitur invidiâ.

EPILOGVS.

HAbet; peracta est fabula; nil restat denique,
Nisi ut vos valere jubeã; quod ut fiat mutuò
Valere & nos etiam jubeatis precor.
Naufragium sic non erit; nam vobis, si placuimus,
Ut acutissime observat Gnomicus, Vir admirabilis,
Iam nunc in vado sumus cum Proverbio.

FINIS.

ERRATA.

Act 1 *Sc*.2. Vltra *pro* Vitra. Quod *pro* Quid. *Polypors* pro *Polypori*, *A*.1.*S*.4. Malam *pro* Malum. *A*.1 *S*.6. Nauule *pro* Nanule. Est, *pro* Et. Vos *pro* Nos. *A*. 2. *S*.4. Vt *pro* At. *A*.2.*S*.5. Exoscular *pro* Exosculer. Virite *pro* Vrite *A*.3. *S*.2. Linqueus *pro* Linquens. *A*.3.*S*.6. *Gel*. pro *Gno* *ibid*. Non, dele, *ib*. Non, non, non ipsi & *Gel*. loquitur. *ib*. ant, pro, unt. *A*.4.*S*.1. Ne *pro* de. *A*.4. *S*.2. Vxores *pro* Vxor es. *A*.5.*S*.2. Excederes *pro* Exederes. *A*.5.*S*.2. Dissimulavit, *pro* dissimulavi. Cætera, quæ non sunt pauca, omitto, ut pote quæ vel amicus, vel intelligens Lector excusare possit.